



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Hieronymi Epistola Lepidissima ad Eustochium uirginem, de custodienda uirginitate

Hieronymus, Sophronius Eusebius

[Köln], [ca. 1520]

VD16 ZV 7933

urn:nbn:de:hbz:466:1-34498



Novembris 44^{to} die mensis Junii Anno

Incipit
In nomine et misericordia trinitatis in qua
et visitatio tua. Custodiat spiritum

sanctum
venerabilis beatorum Petri et Pauli

Evangelium secundum Mattheum

secundum Mattheum


S. W. B. E.

locumque pias fidei dominice

propter te in illis decorem

et ecclesie proinde recondita

In nomine pias fidelium dominice
est scriptis doctoribus et scriptis



DIVI HIERONYMI
EPISTOLA LE-
pidissima ad Eustochium uir-
ginem, de custodienda uirgini-
tate. Des. Erasmi Roterodami
scholiis nimis cōfestiuite enar-
rata.



ARGVMENTVM.

EVstochium ex omnibus Paulæ liberis, perpetuam uirginitatem est amplexa, solaq; matri Bethlehem demigranti comes fuit. Sub huius igitur persona, qm̄ apud Romanos primæ nobilitatis fuit, uirgines omnes docet, quomodo sit uiuendum. Et sicut est boni præceptoris officium, non solum indicat formam, quam oporteat sequi, uerū etiam prodit & aperit technas, fucos uirginum ac monachorum & clericorum, qui sub prætextu castimoniam, uentri & avaritiæ seruebant. Luceat autem in his depingendis paulo liberius, q̄ delicatæ quorūdam aures ferre possent. Vnde alibi scribit, libellum hūc Romanæ (nam illic scripsit) fuisse lapidatum. Et in epistola ad Deme triadē, indicat multos hoc offensos fuisse. Et Rufinus inter cætera crimina, hoc quoq; uiro sanctissimo impingit, quod institutionē uirginis profellus, omnium omnia crimina prodidisset. Meminit huius, & Severus Sulpitius in dialogo quodam, sed cū laude. Verum hic liber q̄ male tractat malos monachos & clericos, tam male uicissim ab illis tractatus fuit. A deo nāq; mēdosum reperimus, ut pro unico uitio exprobrato, decem mendas induxisse uideantur.

❧ **HIERONY** ❧

MVS AD EVSTOCHIVM DE CVSTODIA
VIRGINITATIS.



VDI FILIA ET VIDE,
& inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum. In quadragesimo quarto psalmo deus ad animam loquitur humanam, ut secundum exemplum Abrahæ, exiens de terra sua, & de cognatione

fra, relinquat Chaldaeos, qui quasi dæmonia interpretantur, & habitet in regione uiuentium, quam alibi propheta suspirat, dicens, Credo uidere bona domini, in terra uiuentium. Verū nō sufficit tibi exire de terra tua, nisi obliuiscaris populi tui, & domus patris tui, ut carne contempta, spō si iūgaris amplexibus. Ne respexeris (inquit) retro, nec steteris in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne forte comprehendaris. Non expedit apprehenso aratro respicere post tergum, nec de agro reuerti domū, nec post Christi tunicam, ad tollendum aliud uestimentum tecto descendere. Grande miraculum, Pater filiam cohortatur, ne meminerit patris sui, Vos de patre diabolo estis, & desideria patris uestri uultis facere, dicit ad Iudæos. Et alibi, Qui facit peccatum, de diabolo est. Tali primum parente generati nigri sumus, & post poenitentiam, necdū culmine uirtutis ascenso dicimus, Nigra sum sed speciosa filia Hierusalem. Exiui de domo infantia meæ, oblita sum patris mei, renascor in Christo. Quid pro hoc mercedis accipio? Sequitur, Et concupiscet rex decorem tuū. Hoc ergo illud magnum est sacramentum. Propter hoc relinquet homo patrē & matrem suam &, adhaerebit uxori suæ, & erunt ambo, iam non, ut ibi, in una carne, sed in uno spiritu. Non est sponsus tuus arrogans, non superbus, æthiopiā duxit uxorem. Statim ut uolueris sapientiam audire ueri Solomonis, & ad eum ueneris, confitebitur tibi cuncta quæ nouit. & inducet te rex in cubiculum suum, & mirum in modum colore mutato, sermo tibi ille conueniet, Quæ est ista, quæ ascendit dealbata? Hæc idcirco do

A ij

mina mi Eustochium scribo (dominā quippe uocare de-
beo sponsam domini mei) ut ex ipso principio lectionis
agnosceres, nō me nunc laudem uirginitatis esse dicturū,
quam probasti optimam, & consecuta es, nec enumeraturū
molestias nuptiarum, quomodo uterus intumescat,
infans uagiat, cruciet pellex, domus cura sollicitet, & oīa
quæ putantur bona, mors extrema præcidat (Habent
enim & maritatae ordinem suum, honorabiles nuptias, &
cubile immaculatum). Sed ut intelligeres tibi exeunti de
Sodoma, timendum esse Lot uxoris exemplum. Nulla est
enim in hoc libello adulatio. Adulator quippe, blandus
inimicus est. Nulla erit rhetorici pompa sermonis, quæ
te etiam inter angelos statuatur, & beatitudine uirginitatis
exposita, mundum subiiciat pedibus tuis. Nolo tibi ueni-
re superbiam de proposito, sed timorem. Onusta incedis
auro, latro tibi uitandus est. Stadium est hæc uita mortali-
bus, hic contēdimus, ut alibi coronemur. Nemo inter ser-
pentes & scorpiones securus ingreditur. Et inebriatus est
(inquit dominus) gladius meus in cælo, & tu pacem ar-
bitraris in terra, quæ tribulos generat & spinas, quam ser-
pens comedit. Non est nobis colluctatio aduersus carnē
& sanguinem, sed aduersus principatus & potestates
huius mundi, & harum tenebrarum, aduersus spiritalia
nequitiae in coelestibus. Magnis inimicorum circūdamur
agminibus, hostium plena sunt omnia. Caro fragilis & ci-
nis futura post modicum, pugnat sola cum pluribus. Cū
autem fuerit dissoluta, & uenerit princeps mundi huius,
& inuenerit in ea nihil, tunc secunda audies per prophetā

Non timebis a timore nocturno, A sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Cadent a latere tuo mille, & decem milia a dextris tuis, ad te autem nō appropinquabūt. Quod ſi eorum te multitudo turbauerit, & ad ſingula incitamenta uitiorum cœperis æſtuare, & dixerit tibi cogitatio tua, quid faciemus? respondebit tibi Helifæus, Noli timere, quia plures nobiſcū ſunt, q̄ cum illis, & orabit, & dicet, Domine aperi oculos puellæ tuę, ut uideat, & apertis oculis, uidebis igneum currum, qui te ad exemplum Helicę in aſtra ſuſtollat, & tunc læta cātabis, Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo uenantium, Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Quandiu hoc fragili corpore detinemur, q̄ diu habemus theſaurum iſtum in uas ſiccilibus, & concupiſcit ſpiritus aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum, nulla eſt certa uictoria. Aduerſarius noſter dæmon, tanq̄ leo rugiēs aliquem deuorare quærēs, circumit. Poſuiſti, ait Dauid, tenebras, & facta eſt nox. In ipſa pertransibūt omnes beſtię ſyluę, Catuli, leonū rugientes, ut rapiant, & quærant a deo eſcam ſibi. Non quærunt dæmon homines infideles, non eos qui foris ſunt, & quorum carnes rex Aſſyrius in olla ſuccendit. De eccleſia Chriſti rapere feſtinat. Eſcæ eius ſecundum Habacuc electę ſunt. Iob ſubuertere cupit, & deuorato Iuda, ad cribrã dos apoſtolos expetit poteſtatem. Non uenit ſaluator pacem mittere ſuper terram, ſed gladiū. Cecidit Lucifer, qui mane oriebatur, & ille qui in paradifo deliciarum nutritus eſt, meruit audire, Si exaltatus fueris ut aquila, inde detra-

A iij

ham te dicit dominus. Dixerat enim in corde suo, Super fi-
dera coeli ponam sedem meam, & ero similis altissimo. Un-
de quotidie ad eos qui per scalam, Iacob somniantem, descen-
dunt, loquitur deus, Ego dixi, dii estis, & filii altissimi omnes.
Vos autem sicut homines moriemini, & tanquam unus de prin-
cipibus cadetis. Cecidit enim primus diabolus, & cum staret
deus in synagoga deorum, in medio autem deos discernat,
Apostolus eis qui dii esse desinunt, scribit, Vbi enim in vo-
bis sunt dissensiones & aemulationes, nonne homines estis,
& secundum hominem ambulatis? Si Apostolus vas ele-
ctionis, & separatus in euangelium Christi, ob carnis acu-
leos & incentiua uitiorum reprimat corpus suum, & serui-
tuti subiicit, ne alijs predicans ipse reprobus inueniatur,
& tamen uidet aliam legem in membris suis repugnantem
legi mentis suae, & captiuum se in legem duci peccati. Si
post nuditatem, ieiunia, fames, carcerem, flagella, supplicia,
in semetipsum reuersus exclamat, Infelix ego homo, quis
me liberabit de corpore mortis huius? tu te putas securam
esse debere? Caue quoniam, ne quando de te dicat deus, Virgo
Israel cecidit, & non est qui suscitet eam. Audenter loquar,
Cum omnia possit deus, suscitare uirginem non potest
post ruinam. Valet quidem liberare de poena, sed non uult cor-
ronare corruptam. Timeamus illam prophetiam, ne in no-
bis etiam compleatur, Virgines bonae deficient. Obserua
quid dicat, & uirgines bonae deficient, quia sunt & uirgi-
nes malae. Qui uiderit, inquit, mulierem ad concupiscen-
dum eam, iam moechatus est eam in corde suo. Perit ergo
& mente uirginitas. Ista sunt uirgines malae, uirgines car-

iii A

ne, non spiritu, uirgines stultae, quae oleum non habentes,
excluduntur a spōso. Si autem & illae quae uirgines sunt,
ob alias tamen culpas, uirginitate corporum non saluan-
tur, quid fiet illis, quae prostituerūt mēbra Christi, & mu-
tauerunt templum sancti spiritus in lupanar? Illico audi-
ent, Descende, sede in terra uirgo filia Babylonis, sede in
terra, non est solium filiae Chaldaeorum, non uocaberis ul-
tra mollis, & delicata. Accipe molā, mole farinam, discoo-
peri uelamen tuum, denuda crura, transi flumina, reuela-
bitur ignominia tua, apparebunt opprobria tua. Et hoc
post dei filij thalamos, post oscula fratruelis & spōsi, illa
de qua quondam sermo propheticus concinebat, Astitit
regina a dextris tuis, in uestitu deaurato, circumdata uarie-
tate, nudabitur, & posteriora eius ponentur in faciem ipsi-
us. Sedebit ad aquas solitudinis, posito uase, & diuaticabit
pedes suos, omni trāseūti, & usq; ad uerticem polluetur.
Rectius fuerat hominis subisse cōiugium, ambulasse per
plana, q̄ ad altiora tendentem, in profundum inferni ca-
dere. Ne fiat obsecro ciuitas meretrix, fidelis Sion, ne post
trinitatis hospitium, ibi daemones saltent, & sirenae nidifi-
cent, & hericij. Non soluatur fascia pectoralis, sed statim
ut libido titillauerit sensum, aut blandum uoluptatis incē-
dium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in uocem,
Dominus auxiliator meus, nō timebo quid faciat mihi ca-
ro. Cum paululum interior homo inter uitia atq; uirtutes
coeperit fluctuare, dicito, Quare tristis es anima mea, &
quare conturbas me? Spera in domino, quia confitebor il-
li, salutare uultus mei, & deus meus. Nolo sinas cogitatio

nem crescere. Nihil in te Babylonium, nihil confusionis
adolecat. Dū paruus est hostis, interfice, neq̄uitia, ne zi-
zania crescant, elidatur in semine. Audi Psalmistam dicē-
tem, Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi tri-
butionem tuam. Beatus qui tenebit & allidet paruulos tu-
os ad petrā. Quia enim impossibile est, in sensum hominis
non irruere innatum medullarum calorem, Ille laudatur,
ille prædicat̄ beatus, qui ut coeperit cogitare sordida, sta-
tim interficit cogitatus, & allidit ad petram, petra autem
Christus est. O quoties ego ipse in eremo constitutus, &
in illa uasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horri-
dum monachis præstat habitaculum, putabā me Roma-
nis interesse delicijs, Sedebam solus, quia amaritudine re-
pletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squa-
lida cutis, situm æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie la-
chrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem so-
mnus imminēs oppressisset, nuda humo, uix ossa hæretica
collidebam. De cibis uero & potu taceo, cum etiā lāguen-
tes aqua frigida utātur, & coctum aliquid accepisse, luxu-
ria fit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum, tali me car-
cere ipse damnaueram, scorpionum tantum socius & fe-
rarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ie-
iunijs, & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore, &
ante hominem suum iam carne præmortua, sola libidinū
incendia bulliebant. Itaq; omni auxilio destitutus, ad le-
su iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, &
repugnantem carnem hebdomadarū inedia subiugabā.
Non depudescō infidelitatis meæ, quā potius plāgo me

non esse quod fuerim, Memini me clamantem, diem cre-
bro iunxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse uer-
beribus, q̄ rediret domino increpante tranquillitas. Ipsam
quoq; cellulam meam, quasi cogitationum mearum con-
sciam pertimescebam. Et mihi met iratus & rigidus, solus
deserta penetrabam. Sic ubi concaua uallium, aspera mon-
tium, rupium prærupta cernebam. Ibi meæ orationis lo-
cus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum, & (ut ipse mi-
hi testis est dominus) post multas lachrymas, post cœlo
inhærentes oculos, non uidebar mihi interesse agmini-
bus angelorum, & lætus gaudensq; cantabam, Post te in
odore unguentorum tuorum curremus. Si autem hoc su-
stinēt illi, q̄ exeso corpore, solis cogitationibus oppugnā-
tur, quid patitur puella, quæ delicijs fruitur? Nēpe illud
Apostoli, *Viues mortua est*. Si quid itaq; in me potest esse
consilij, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obte-
stor, ut spōsa Christi uinum fugiat pro ueneno. Hæc ad-
uersus adolescentiam, prima arma sunt dæmonum. Non
sic auaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. Facile
alijs caremus uitijs, hic hostis nobis inclusus est. Quocūq;
pergimus, nobiscum portamus inimicum. Vinum & ado-
lescentia, duplex incendium uoluptatis. Quid oleū flam-
mæ adijcimus? Quid ardenti corpusculo fomenta igniū
ministramus? Paulus ad Timotheum, iam noli (inquit)
aquam bibere, sed uino modico utere, propter stomachū
tuum, & frequentes tuas infirmitates. Vide quibus causis
uini potio cōcedat, ut ex hoc stomachi dolor, & frequens
medeatur infirmitas. Et ne nobis forsitan de agrotationi-
B

B

bus blandiremur. modicum præcepit esse sumendum, medici potius consilio, quàm Apostoli, licet Apostolus sit medicus spiritalis, & ne Timotheus imbecillitate superatus, euangelij prædicandi non posset implere discursus. Alioquin se dixisse meminerat, Vinum in quo est luxuria, Et bonum est homini uinum non bibere, & carnem non manducare. Noe uinum bibit, & inebriatus est. Post diluuium, rudi adhuc seculo, & tunc primum plantata uinea, inebriare uinum forsitan nesciebat. Et ut intelligas scripturæ in omnibus sacrum, (Margaritum quippe est sermo dei, & ex omni parte forari potest) post ebrietatem nudatio femoræ subsecuta est, libido iuncta luxuriæ. Prius enim ueter extenditur, & sic cætera membra concitantur. Manducauit enim populus, & bibit, & surrexerunt ludere. Lot amicus dei in morte saluatus, & de tot milibus populi solus iustus inuentus, inebriatur a filiabus suis. & licet illæ putarent genus hominum defecisse, & hoc facerent liberorum magis desiderio, quàm libidinis, tamen sciebant uirum iustum, hec nisi ebrium non esse facturum. Denique quid fecerit, ignorauit, & quælibet uoluntas non sit in crimine, error in culpa est. Inde nascuntur Moabitæ & Ammonitæ inimici israel, quousque ad quartam & decimam progeniem, & usque in æternum, non ingrediuntur in ecclesiam Dei. Helias cum Iezabel fugeret, & sub quercu iaceret lassus, ueniente ad se angelo suscitatur, & dicitur ei, Surge & manduca. Respexit, & ecce ad caput eius panis collyrida, & uas aquæ. Reuera non poterat deus conditum ei merum mittere, & electos cibos, & carnes contusione mutatas. Helisæus filios prophetarum

inuitat ad prandium, & herbis agrestibus eos alens, cōso-
num prandentium audit clamorem, Mors in olla, homo
dei. Non iratus est cocis (lautioris enim mensæ cōsuetudi-
nem non habebat), seu farina desuper iacta, amaritudinē
dulcorauit, eadem spiritus uirtute, qua Moses mutauerat
maram in dulcedinem. Necnon & illos qui ad eum com-
prehendum uenerant, oculis pariter ac mente cæca-
tos, cum in Samariā nescius induxisset, qualibus eos epu-
lis refici imperauerit, ausculta. Pone eis panē & aquam,
manducēt & bibant, & remittantur ad dominum suum,
Potuit & Danieli de regijs ferculis opulentior mensa trāf-
ferri, sed Habacuc ei messorum prādium portat, arbitrator
rusticanum. Ideoq; & desideriorum uir appellatus est,
quia panem desiderij non manducauit, uinum cōcupiscē-
tiæ non bibit. Innumerabilia sunt de scripturis diuina re-
sponsa, quæ gulam damnent, & simplices cibos probent.
Verum quia nunc non est propositum de ieiunijs dispu-
tare, & uniuersa exequi, sui & tituli sit & uoluminis, hæc
sufficiant pauca de plurimis. Alioquin ad exemplum ho-
rum, poteris tibi ipsa colligere, quomodo primus de para-
diso homo, uentri magis obediens, q̄ deo, in hanc lachry-
marum deiectus est uallem. Et ipsum dominum Satanas
fame tentauerit in deserto. Et Apostolus clamitet, Escæ
uentri & uēter escis, deus autem hunc & illas destruet. Et
de luxuriosis, quorum deus uēter est. Id enim colit unus-
quisq; quod diligit. Ex quo sollicite prouidendum est, ut
quos saturitas de paradiso expulit, reducat esuries. Quod
si uolueris respondere, te nobili stirpe generatam, semper

in delicijs, semper in plumbis, non posse a uino & esculē-
tioribus cibis abstinere, nec his legibus uiuere. Districtius
respondebo. Viue ergo lege tua, quæ dei non potes. Nō
quod deus uniuersitatis creator & dominus, intestinorū
nostrorum rugitu & inanitate uētris, pulmonisq; delecte-
tur ardore, sed quod aliter pudicitia tuta esse nō possit. Iob
deo charus, & testimonio ipsius immaculatus & simplex,
audi quid de diabolo suspicetur, Virtus eius in lumbis, &
potestas eius in umbilico. Honeste uiri mulierisq; ge-
nitalia, immutatis sunt appellata nominibus, Vnde & de
lumbis Dauid super sedem eius promittitur esse sessurus.
Et septuagintaquinq; animæ introierunt in Aegyptum,
quæ exierunt de femore Iacob. At post colluctante do-
mino, latitudo femoris eius emarcuit, a liberorū opere ces-
savit. Et qui pascha facturus est, accinctis mortificatisq; lū-
bis, facere præcipitur. Et ad Iob dicit deus, Accinge sicut
uir lombos tuos. Et Iohānes zona pellicea cingitur. Apo-
stoli iubentur accinctis lumbis, euangelij tenere lucernas.
Ad Hierusalē uero, quæ respersa sanguine, in campo in-
uenit erroris, in Ezechiele dicitur, Non est præcisus umbi-
licus tuus. Omnes igitur aduersus uiros diaboli uirtus, in
lumbis est, Omnis in umbilico contra foeminas fortitudo.
Vis scire ita esse ut dicimus? Accipe exempla. Samson le-
one fortior & saxo durior, qui & unus & nudus mille per-
secutus est armatos, in Dalilæ mollescit amplexibus. Da-
uid secundū cor domini electus, & qui uenturū CHRI-
S T V M sancto sæpe ore cātauerat, postq; deambulās
super rectum domus suę, Bethsabeæ captus est nuditate,

adulterio iūxit homicidium. Vbi & illud breuiter attēde,
quod nullus sit etiam in domo tutus aspectus. Quapro-
pter ad dominum pœnitens loquitur, Tibi soli peccaui,
& malum coram te feci. Rex enimerat, alium non time-
bat. Solomon per quem se cecinit ipsa sapientia, qui dis-
putauit a cedro libani usq; ad hisopum, quæ exijt per
parietem, recessit a domino, quia amator mulierum fuit.
Et ne quis sibi de sanguinis propinquitate consideret,
in illicitum Thamar sororis Amnon frater exarsit incen-
dium. Piget dicere, quot quotidie uirgines ruant, quan-
tas de suo gremio mater perdat ecclesia, super quæ sidera,
inimicus superbus ponat thronum suū, Quot petras exca-
uet, & habitet coluber in foraminibus earum. Videas plæ-
rasq; uiduas anteq; nuptas, infelicem conscientiam men-
tita tantum ueste protegere. Quas nisi tumor uteri, & in-
fantum prodiderit uagitus, erecta ceruice, & ludētibus pe-
dibus incedunt. Aliæ uero sterilitatem præbent, & nec-
dum nati hominis homicidium faciunt. Nonnullæ cum
se senserint concepisse de scelere, abortij uenena meditan-
tur, & frequenter etiam ipsæ commortuæ, trium criminū
reæ, ad inferos perducuntur, homicidæ sui, CHRISTI
adulteræ, necdum nati filij parricidæ. Istæ sunt quæ solēt
dicere. Omnia munda mundis. Sufficit mihi conscientia
mea. Cor mundum desiderat deus. Cur me abstineam a
cibis quos creauit deus ad utendum? Et si quando festiue
& lepide uolunt uiuere, ubi se mero ingurgitauerint, ebrie-
tati sacrilegiū copulantes, aiūt, Absit, ut ego me a CHRI-
S T I sanguine abstineā. Et quam uiderint pallētem atq;

B iij

tristem, miseram & Manichæam uocant. Et consequenter.
Tali enim proposito ieiunium hæresis est. Hæ sunt, quæ
per publicum notabiliter incedunt, & furtiuus oculorum
nutibus, adolescentium greges post se trahunt, quæ semp
audiunt per prophetam, Facies meretricis facta est tibi, im
pudorata es tu. Purpura tantū in ueste tenuis, & laxius,
ut crines decidant, ligatum caput, foccus uilior, & per hu-
meros hiacynthina lena forte uolitans, succinctæ mani-
cæ brachijs adherētes, & solutis genibus fractus incessus.
Hæc est apud illos tota uirginitas. Habeant istæ huiusmo-
di laudatores suos, ut sub uirginali nomine, lucrosius pe-
reāt. Libenter talibus non placemus. Pudet dicere (proh
nefas). Triste, sed uerum est, Vnde in ecclesias agapeta-
rum pestis introijt: Vnde sine nuptijs aliud nomen uxo-
rum: Imo unde nouum concubinarum genus: plus infe-
ram, Vnde meretrices uniuiræ: Eadem domo, uno cubi-
culo, sæpe uno tenentur & lectulo, & suspiciosos nos uo-
cant, si aliquid existimamus. Frater sororem uirginem de-
ferit, cœlibem spernit uirgo germanum, fratrem quærit
extraneū, & cum in eodem proposito esse se simulēt, que-
runt alienorum spiritalē solatium, ut domi habeant carna-
le commercium. Istiusmodi homines Solomon in Prouer-
bijs spernit, dicens, Alligabit quis in sinu ignem, & uesti-
menta eius non comburentur: Aut ambulabit super car-
bones ignis, & pedes illius nō ardebunt: Explosis igitur
& exterminatis his quæ nolūt esse uirgines, sed uideri, nūc
ad te mihi omnis dirigatur oratio. Quæ quanto prima Ro-
manæ urbjs uirgo nobilis esse cœpisti, tanto tibi amplius

laborandū est, ne & præsentiis bonis careas & futuris.
Et quidem molestias nuptiarum & incerta coniugij, do-
mestico exemplo didicisti, cū soror tua Blefilla ætate ma-
ior, sed proposito minor, post acceptum maritū septimo
mense uiduata est. O infelix humana cōditio, & futuri ne-
scia. Et uirginitatis coronam, & nuptiarum perdidit uo-
luptatem. Et quæ secundum pudicitiae gradum teneat ui-
duitas, tamen quas illa per momenta sustinere existimas
cruces, spectantem quotidie in sorore, quod ipsa perdidit,
& cum difficilius experta careat uoluptate, minorem
continentiae habere mercedem. Sit tamen & illa secura,
sit gaudens. Centesimus & sexagesimus fructus, de uno
sunt semine castitatis. Nolo habeas consortiū matrona-
rum, Nolo ad nobilium domos accedas. Nolo te frequen-
ter uidere, quod contemnens, uirgo esse uoluisti. Sic sibi
solent applaudere mulierculæ de iudiciis uiris, & in ali-
qua positis dignitate. Si ad imperatoris uxorem concurrat
ambitio salutariū, cur tu facis iniuriam uiro tuo? Ad ho-
minis coniugem, dei sponsa properas? Disce in hac parte
superbiam sanctam, scito te illis esse meliorem. Neque ue-
ro earum tantum te cupio declinare congressus, quæ ma-
ritorum inflantur honoribus, quas eunuchorum greges
sepiūt, & in quarum uestibus attenuata in filum auri me-
talla texuntur, sed etiā eas fuge, quas uiduas necessitas fe-
cit, non uoluntas, Non quod mortem optauerint marito-
rum, sed quod datam occasionem pudicitiae, non libeter
acceperint. Nunc uero tantum ueste mutata pristina, nō
mutat ambitio. Præcedit caueas basternarū, ordo semi-

uirorum, & rubentibus buccis, cutis facta distēditur, ut eas
putes maritos non amississe, sed quærere. Plena adulatori-
bus domus, plena conuiujs. Clerici ipsi quos & magiste-
rio esse oportuerat pariter & timori, osculantur capita ma-
tronarum, & extenta manu, ut benedicere eos putes uel-
le, si nescias, pretia accipiunt salutandi. Illæ interim, quæ
sacerdotes suo uiderint indigere præsidio, eriguntur in su-
perbiam. Et quia maritorum expertæ dominatum, uidui-
tatis præferunt libertatem, castæ uocantur & Nonnæ, &
post cœnam dubiam, apostolos somniât. Sint tibi sociæ,
quas ieiunia tenuant, quibus pallor in facie est, quas &
ætas pbauit & uita, quæ quotidie in cordibus suis canût,
Vbi pascis: ubi cubas in meridie: Quæ ex affectu dicût,
cupio dissolui, & esse cum Christo. Esto subiecta
parentibus, imitare sponsum tuum. Rarus sit egressus in
publicû. Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo. Nūq̃
causa deerit procedendi, si semper quādo necesse est, pro-
cessura sis. Sit tibi moderatus cibus, & nunq̃ ueter exple-
tus. Plures quippe sunt, quæ cum uino sint sobriæ, ciborū
largitate sunt ebrîæ. Ad orationem tibi nocte surgēti, nō
indigestio ructû faciat, sed inanitas. Crebrius lege, disce
q̃ plurima. Tenenti codicem somnus obrepat, & cadentē
faciem, pagina sancta suscipiat. Sint tibi quotidiana ieiu-
nia, & refectio satietatem fugiēs. Nihil prodest biduo tri-
duoq; transmissio, uacuum portare uentrem, si pariter ob-
ruatur, si compensetur saturitate ieiunium. Ilico mens re-
pleta torpescit, & irrigata humus spinas libidinum germi-
nat. Si quando senseris exteriorē hominē florem ado-

lescētiae suspirare, & accepto cibo, cum te in lectulo com-
positam, dulcis libidinum pompa concusserit, aripe scu-
tum fidei, ī quo ignitae diaboli extinguitur sagittae. Oēs
adulterantes, quasi clibanus corda eorum, Attu Christi
comitata uestigijs, & sermonibus eius intēta, dic, Nonne
cor nostrū ardens erat in uia, cū aperiret nobis Iesus scri-
pturas. Et illud, Ignitum eloquium tuum, & feruus tuus
dilexit illud. Difficile est humanam animam aliquid non
amare, & necesse est, ut in quoscunq; mens nostra traha-
tur affectus. Carnis amor, spiritus amore superatur.
Desiderium desiderio restinguitur. Quicquid inde
minuitur, hinc crescit. Quin potius semper ingemi-
na, & dicito super lectum tuum, In noctibus quaesui quē
dilexit anima mea. Mortificate ergo, inquit Apostolus,
membra uestra quae sunt super terram. Vnde & ipse post
ea confidenter aiebat, Viuo autem, iam nō ego, uulit ue-
ro in me Christus. Qui mortificat membra sua, & in ima-
gine perambulat, non timet dicere, Factus sum sicut uter
in pruina. Quicquid in me fuerit humoris, excoctum est,
& infirmata sunt ī ieiunio genua mea, & oblitus sum mā-
ducare panem meum. A uoce gemitus mei adhæserunt
ossa mea carni meae. Esto cicada noctūm. Laua per singu-
las noctes lectum tuum, lachrymis tuis stratum tuum ri-
ga. Vigila & fito sicut passer in solitudine. Psalle spiritu,
psalle & sensu. Benedic anima mea dominum, & ne obli-
uiscaris omnes retributiones eius, qui propitiatur cunctis
iniquitatibus tuis, Qui sanat omnes infirmitates tuas, &
redimit ex corruptione uitam tuam. Et quis nostrum ex

C

corde dicere potest, Quia cinerem tanq̄ panem manduca-
bam, & potionem meam cum fletu miscebam: An nō flē-
dum est, non gemendum, cum me rursus serpens inuitat
ad illicitos cibos: Cum de paradiso uirginitatis eiectum,
tunicis uult uestire pelliceis, quas Helias ad paradysum re-
diens, proiecit in terrā: Quid mihi & uoluptati, quæ bre-
uiperit: Quid cum hoc dulci & mortifero carmine firena-
rum: Nolo illi subiacere sententiæ, qua in hominem est il-
lata damnatio, In doloribus & in anxietatibus pariet. Mu-
lieris lex ista est, non mea. Et ad uirum conuersio tua. Sit
conuersio illius ad maritum, quæ uirum non habet Chri-
stum, Et ad extremum, morte morieris. Finis iste cōiugij,
meum propositum sine sexu est. Habeant nuptæ suū tē-
pus & titulū. Mihi uirginitas in Maria dedicatur & Chri-
sto. Dicat aliquis, Et audes nuptijs detrahere, quæ a deo
benedictæ sunt: Non est detrahere nuptijs, cum illis uir-
ginitas antefertur. Nemo malum bono comparat. Gloriē-
tur & nuptæ, cum uirginibus sint secundæ. Crescite (ait)
& multiplicamini, & replete terram. Crescat & multipli-
cetur ille, qui impleturus est terram. Tuum agmen in cœ-
lis est. Crescite & multiplicamini, hoc expletur edictum
post paradysum & nuditatem, & ficus folia, auspicantia
pruriginem nuptiarum. Nubat & nubatur ille, qui in su-
dore faciei comedit panem suum, cuius terra tribulos &
spinas generat, & cuius herba sentibus suffocatur. Meum
semen, centenaria fruge foecundū est. Non omnes capiūt
uerbum dei, sed hi quibus datum est. Alium, eunuchum
necessitas faciat, me uoluntas, Tempus amplexandi, &

tempus abstinendi a complexibus, tempus mittendi lapides, & tempus colligendi. Postq̄ de duritia nationum generati sunt filij Abrahæ, cœperūt sancti lapides uolui super terram. Pertranseunt quippe mundi istius turbines, & in curru dei, rotarum celeritate uoluuntur. Consuant tunicas, qui inconsutam desursum tunicam perdiderunt, quos uagitus delectat infantium, in ipso lucis exordio flentium quod nati sunt. Eua in paradiso uirgo fuit, post pelliceas tunicas, initium sumpsit nuptiarum. Tua regio paradisu est. Serua quod nata es, & dic, Reuertere anima mea in requiem tuam. Et ut scias uirginitatem esse naturæ, nuptias post delictum, uirgo nascitur caro de nuptiis, in fructu reddens, quod in radice perdidit. Exiit uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Virga mater est domini, simplex, pura, sincera, nullo extrinsecus germine coherente, & ad similitudinem dei unione fecunda. Virgæ flos Christus est, dicens, Ego flos campi & lilium conuallium. Qui & in alio loco, lapis prædicatur abscissus de monte sine manibus, significante propheta, uirginem nasciturum esse de uirgine. Manus quippe accipiuntur pro opere nuptiarum, ut ibi, Sinistra eius sub capite meo, & dextera illius amplexabit me. In huius sensus congruit uoluntatem etiã illud, quod animalia quæ in arca Noe bina inducunt, immunda sunt. Impar numerus est mundus. Et Moses & Iesus Naue nudis in sanctam terram pedibus iubentur incedere, Et discipuli sine calciametore onere, & uiculis pellium ad prædicationem noui euangelij destinant, Et milites uestimentis Iesu sorte diuisis, caligas non habent.

bant quas tollerent. Nec enim poterat habere dominus, quod prohibuerat seruis. Laudo nuptias, laudo cōiugiū, sed quia mihi uirgines generant, lego de spinis rosam, de terra aurum, de concha margaritum. Nunquid qui arat, qui arat, tota die arabit? Nonne & laboris sui fruge lætabitur? Plus honorantur nuptiæ, quādo quid de illis nascitur, plus amatur. Quid iuides mater filiæ? Tuo lacte nutrita est, tuis educata uisceribus, in tuo adoleuit sinu. Tu illam uirginem sedula pietate seruasti. Indignaris, quod non fuit militis esse uxor, sed regis? Grande tibi beneficiū præstitit, Socrus dei esse cœpisti. De uirginibus, inquit Apostolus, præceptum domini non habeo. Cur? Quia & ipse ut esset uirgo, non fuit imperij, sed propriæ uoluntatis. Neque enim audiendi sunt, qui eum uxorem habuisse consingunt, cum de continentia differens & suadens perpetuam castitatem, intulerit, Volo autem omnes esse sicut meipsum. & infra. Dico autem innuptis & uidiuis, Bonū est illis si sic permaneant, sicut & ego. Et in alio loco, Nunquid non habemus potestatem circumducendi mulieres, sicut & cæteri apostoli? Quare ergo nō habet domini de uirginitate præceptum? Quia maioris est mercedis quod non cogitur & offertur. Quia si fuisset uirginitas imperata, nuptiæ uidebantur ablatae. Et durissimum erat contra naturam cogere, angelorumque uitā ab hominibus extorquere, & id quodammodo damnare quod conditum est. Alia in ueteri lege foelicitas. Beatus qui habet semen in Sion, & domesticos in Hierusalem. Et, maledicta sterilibus, quæ non pariebat, Et, filij tui sicut nouellæ oliuarum,

in circumitu mensæ tuæ. Et repromissio diuitiarum. Et,
non erit infirmus in tribubus tuis. Nunc dicitur, Ne te li-
gnum arbitreris aridum. Habes locum pro filiis & filia-
bus in cœlestibus sempiternum. Nunc benedicuntur
pauperes, & Lazarus diuiti præfertur in purpura. Nunc
qui infirmus est, fortior est. Vacuus erat orbis, & (ut de
typicis taceam) sola erat benedictio liberorū. Propterea
& Abraham iam senex Cethuræ copulatur. Et iacob
mandragoris redimitur. Et conclusam uuluam in eccle-
siæ figuram, Rachel pulchra conqueritur. Paulatim uero
increscente segete, messor immissus est. Virgo Helias, He-
liseus uirgo, uirgines multi filij prophetarum. Hieremiæ
dicitur, Et tu ne accipias uxorem. Sanctificatus in utero,
captiuitate propinqua, uxore prohibetur accipere. Alijs
uerbis id ipsum Apostolus loquitur, Existimo hoc bo-
num esse propter instantem necessitatem, quoniam bo-
num est homini sic esse. Quæ est ista necessitas, quæ au-
fert gaudia nuptiarum? Tempus breuiatum est. Reli-
quum est, ut & qui habent uxores, sint quasi non habeant.
In proximo est Nabuchodonosor. Promouit se leo de cu-
bili suo. Quo mihi superbissimo regi seruitura coniugia?
Quo paruulos quos propheta complorat, dicens: Ad hæ-
sic lingua lactentis ad faucem ipsius in siti. Paruuli postu-
lauerunt panem, & qui frangeret eis, non erat. Inuenieba-
tur ergo (ut diximus) in uiris tantum hoc continentia bo-
num, & in doloribus iugiter Eua parturiebat. Postquam
uero uirgo concepit in utero, & peperit nobis puerum,
cuius principatus in humeros eius, deum, fortem, patrem
C in

futuri seculi, soluta maledictio est. Mors per Euam, uita per Mariam. Ideoque & diutius uirginitatis donum fluxit in foeminas, quia coepit a foemina. Statim ut filius dei ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, ut qui ab angelis adorabatur in caelo, haberet angelos & in terris. Tunc Holofernis caput, Iudith continens amputauit. Tunc Aman, qui interpretatur iniquitas, suo combustus est igni. Tunc Iacobus & Ioannes relicto patre, rheti, nauicula, secuti sunt saluatorem, affectum sanguinis & uincula seculi, & curam domus pariter relinquentes. Tunc primum auditum est, Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Nemo enim miles cum uxore pergit ad praelium. Discipulo ad sepulturam patris ire cupienti, non permittitur. Vulpes foueas habent, & uolucres caeli nidus ubi requiescant, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Ne forsitan contristeris, si anguste manseris. Qui sine uxore est, sollicitus est quae domini sunt, quomodo placeat domino. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori. Diuisa est mulier & uirgo. Quae non est nupta, cogitat quae sunt domini, ut sit sancta corpore & spiritu. Nam quae nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat uiro. Quantas molestias habeant nuptiae, & quot sollicitudinibus uinciantur, in eo libro quem aduersus Heluidium de beatae Mariae perpetua uirginitate edidimus, puto breuiter expressum. Nunc eadem replicare perlongum. Et si cui placet, de illo potest haurire fonticulo. Ve

rum ne penitus uidear omiſſiſſe, nunc dicam, quod cum
Apoſtoliſ ſine intermiſſione orare inoſ iubeat, & qui in
coniugio debitum ſoluit orare nō poſſit, aut oramus ſem
per, & uirgines ſumus, aut orare deſinimus, ut coniugio
ſeruamus. Et ſi nupſerit (inquit) uirgo, non peccat. Tri
bulatione in tamen carniſ habebūt huiuſmodi. Et in prin
cipio libelli præfatuſ ſum, me de anguſtijs nuptiarum,
nihil omnino, aut pauca dicturū. Et nūc eadē admoneo,
ut ſi tibi placet ſcīre quot moleſtijs uirgo libera, q̄t uxor
aſtricta ſit, legas Tertullianum adamicum philoſophū,
& de uirginitate alioſ libelloſ, & beati Cypriani uolumē
egregium, & Papæ Damasi ſuper hæc re, uerſu proſaq̄
compoſita, & Ambroſij noſtri quæ ſcripſit ad ſororem
opuscula. In quibus tāto ſe effudit eloquio, ut quicquid
ad laudeſ uirginum pertinet, exquiſierit, expreſſerit, ordi
narit. Nobis diuiſo tramite incedendum. Virginitatem
non tantum efferimus, ſed ſeruamus. Nec ſufficit ſcīre
quod bonum eſt, niſi cuſtodiatuſ attentiuſ, quod electū
eſt. Quia illud iudicij eſt, hoc laboriſ. & illud commune
cum pluribuſ, hoc cū pauciſ. Qui perſeuerauerit (inquit)
uſq̄ in ſinem, hic ſaluſ erit. Et multi uocati, pauci autem
electi. Itaque obteſtor te coram deo & Chriſto Ieſu & ele
ctiſ angelis eiſ, ne uafa templi domini, quæ ſoliſ ſacer
dotibuſ uidere conceſſum eſt, facile in publicum profe
raſ, ne ſacrarium dei quiſq̄ profanuſ aſpiciat. Oza arcam
quā nō licebat tangere attingēſ, ſubita morte p̄ſtratuſ ē.
Neq̄ em̄ uas aureum & argēteum tam charę deo fuit, q̄
templum corporiſ uirginaliſ. Præceſſit umbra, nunc ueri

tas est. Tu quidem simpliciter loqueris, & ignotos quosque blanda non despicias, sed aliter uident impudici oculi. Non norunt animæ pulchritudinem considerare, sed corporum. Ezechias thesaurum dei demonstrat Assyrijs, sed Assyrij non debuerunt uidere quod cuperent. Denique frequentibus bellis Iudæa conuulsa, uasa primū domini capta atque translata sunt. Inter epulas & concubinarum greges (quā palma uitiorum est, honesta polluerē), Balthasar potat in phialis. Ne declines aurem tuam in uerba malitiæ. Sæpe enim indecens aliquid loquentes, tentant mentis arbitrium, si libenter audias uirgo quod dicitur, si ad ridicula quæque soluaris. Quicquid dixeris laudant, quicquid negaueris negant, facetam uocant & sanctā, & in qua nullus sit dolus. Ecce uera ancilla Christi, dicentes, Ecce tota simplicitas. Non ut illa horrida, turpis, rusticana, terribilis, & quæ ideo forsitan maritum nō habuit, quia inuenire non potuit. Naturali ducimur malo. Adulatoribus nostris libenter fauemus, & quanquam nos respondeamus indignos, & calidus rubor ora perfundat, attamen ad laudem suam, intrinsecus anima lætatur. Sponsa Christi arca est testamenti, intrinsecus & extrinsecus deaurata, custos legis domini. Sicut in illa nihil aliud fuit, nisi tabula testamenti, ita & in te nullus sit extrinsecus cogitatus. Super hoc propitiatorium quasi super cherubim, sedere uult dominus. Mittit discipulos suos, ut in te sicut in pullo asinæ sedeat. Curis te secularibus soluat, ut paleas & lateres Aegypti derelinquens, Mosem sequaris in eremo, & terram repromissio-

nis introeas. Nemo fit qui prohibeat, non mater, non soror, non cognata, non germanus, Dominus te necessariam habet. Quod si uoluerint impedire, timeant flagella Pharaonis, qui populum dei ad colendum eum nolens dimittere, passus est ea quae scripta sunt. Iesus ingressus in templum, ea quae templi non erant, proiecit. Deus enim zelotes est, & non uult patris domum fieri speluncam latronum. Alioquin ubi aera numeratur, ubi sunt cauae colubarum, & simplicitas enecatur, ubi in pectore uirginali secularium negotiorum cura aestuat, statim uelum templi scinditur, sp̄sus consurgit iratus, & dicit, Relinquetur uobis domus uestra deserta. Lege euangelium, & uide quomodo Maria ad pedes domini sedens Marthae studio praefertur. Et certe sedulo hospitalitatis officio, domino atq; discipulis eius conuiuium praeparabat. Martha (inquit) Martha sollicita es, & turbaris erga plurima, pauca autem necessaria sunt, ut unum, Maria bonam partem elegit, quae non auferet ab ea. Esto & tu Maria, tuis praeferto doctrinam. Sorores tuae cursitent, quaerant quomodo Christum hospitem suscipiant. Tu semel seculi onere proiecto, sede ad pedes domini, & dic, Inueni eum quem quaerebat anima mea, tenebo eum, & non dimittam, & ille respondeat, Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae, coelesti uidelicet Hierusalem. Semper te cubiculi tui secreta custodiant, semper tecum sponsus ludat intrinsecus. Oras, loqueris ad sponsum, legis, ille tibi loquitur. Et cum te somnus oppresserit, ueniet post parietem, & mittet manum

suam per foramen, & tanget uetrem tuum. Et experge
facta consurges, & dices, Vulnerata charitate ego sum. Et
rursus ab eo audies, Hortus conclusus soror mea sponsa,
hortus conclusus, fons signatus. Caue ne domum exeas,
& uelis uidere filias regionis alienæ, quibus fratres habeas
patriarchas, & Israel parente lateris. Dina egressa, corrū-
pitur. Nolo te sponsum quærere per plateas. Nolo te cir-
cumire angulos ciuitatis, dicas licet, Surgam & circumi-
bo ciuitatem, & in foro, & in plateis quæram quem dile-
xit anima mea, & interroges, Num quem dilexit anima
mea, uidistis? nemo tibi respondere dignabitur. Sponsus
in plateis, non potest inueniri. Arta & angusta uia est, quæ
ducit ad uitam. Denique sequitur, Quæsiui eum, & non in-
ueni, uocaui eum, & non respondit mihi. Atque utinam non
inuenisse sufficiat. Vulneraberis, nudaberis, & gemebun-
da narrabis. Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciui-
tatem, percusserunt me, & uulnerauerunt me, tulerunt the-
sistrum meum mihi. Si autem hoc exiens patitur illa, quæ
dixerat, Ego dormio, & cor meum uigilat, & fasciculus sta-
ctes fratruelis meus mihi, in medio uberum meorum com-
morabitur, quid de nobis fiet, quæ adhuc adolescentulæ
sumus? quæ sponsa intrante cum sponso remanemus ex-
trinsecus? Zelotypus est Iesus, non uult ab alijs uideri fa-
ciem tuam, Excuses licet atque causeris obducto uelamine,
ora contexi, & quæsiui te ibi, & dixi, Annuntia mihi quæ
dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie, nequæ-
do efficiat sicut operata super greges sodalium tuorum, indi-
gnabitur, tumebit, & dicet, Si non cognoueris te ipsam

o pulchra inter mulieres, egredere tu in uestigijs gregum,
& pasce hædos tuos in tabernaculis pastorũ. Sis licet pul
chra, & inter omnes mulieres species tua diligatur a spon
so, nisi te cognoueris, & omni custodia seruaeris cor tu
um, nisi oculos iuuenũ fugeris, egredieris de thalamo meo
& pasces hædos, qui staturi sunt a sinistris. Itaq; mi Eusto
chium filia, domina, conserua, germana (aliud enim æta
tis, aliud meriti, aliud religionis, hoc charitatis est nomen)
audi Esaiam loquentem. Populus meus intra cubiculum
tuum. Claude ostium tuum, abscondere pusillum aliquã
tulum, donec transeat ira domini. Foris uagantur uirgines
stultæ, tũ intrinsecus esto cum sponso, quia si ostium clau
seris, & secundum euangelij præceptum in occulto oraue
ris patrem tuum, ueniet & pulsabit, & dicet, Ecce ego sto
ante ianuam & pulso, si quis mihi aperuerit, introibo &
coenabo cum eo, & ipse mecũ. & tu statim sollicita respõ
debis, Vox fratruelis mei pulsantis. Aperi mihi soror
mea, proxima mea, perfecta mea. Necessè est, ut dicas, Di
spoliaui me tunica mea, quomodo induam illam? Laui pe
des meos, quomodo inquinabo eos? Illico confurge & ape
ri, ne te morate pertrãseat, & postea conqueraris, & dicas,
Aperui ego fratrueli meo, fratruelis meus ptrãsiuit. Quid
em̄ necessè est, ut cordis tui ostia clausa sint? Spõso aperiã
tur Christo, claudant̄ diabolo, secũdum illud, Si spũs po
testatẽ habentis ascenderit super te, ne dimiseris locũ tuũ
Daniel i coenaculo suo manebat i superioribus (neq; em̄
manere poterat in humili), fenestras apertas ad Hierusa
lẽm habuit, & tu habeto aptas fenestras, Sed unde lumẽ

introeat, unde uideas ciuitatem domini. Ne aperias illas
fenestras, de quibus dicitur, Intrauit mors per fenestras ue
stras. Illud quoque tibi uitandum est, ne inanis gloriae ardo
re capiaris. Quomodo (inquit Iesus) potestis credere, glo
riam ab hominibus accipientes? Vide quale malum sit,
quod qui habuerit, non potest credere. Nos uero dicamus,
Quoniam gloria tua mea es. Et qui gloriatur, in domi
no gloriatur. Et, si adhuc hominibus placerem, Christi ser
uus non essem. Et, mihi absit gloriari, nisi in cruce domi
ni nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus
est, & ego mundo. Et illud, In te laudabimur tota die, in do
mino laudabitur anima mea. Cum facis eleemosynam,
deus solus uideat. Cum ieiunas laeta sit facies tua. Ve
stis nec satis munda, nec sordida, & nulla aduersitate nota
bilis, ne ad te obuiam praetereuntium turba consistat, & di
gito monstretur. Frater est mortuus, sororis corpusculum
deducendum, caue ne dum haec saepius facis, ipsa moriaris.
Nec satis religiosa uelis uideri, nec plus humilis quam ne
cesse est, ne gloriam fugiendo, quaeras. Plures enim pau
pertatis misericordiae atque ieiunij arbitros declinantes, hoc
ipso cupiunt placere, quod placere contemnunt, & mirum
in modum laus dum uitatur, appetitur. Caeteris perturba
tionibus, quibus hominis mens gaudet, aegrescit, sperat,
& metuit, plures inuenio extraneos. Hoc uitio pauci ad
modum sunt qui caruerunt, & ille est optimus, qui quasi
in pulchro corpore, raro neuorum sorde respergitur. Neque
uero moneo, ne de diuitijs gloriaris. & ne de generis nobi
litate iactes, ne te caeteris praeferas, Scio humilitatem tuam.

Scio te ex affectu dicere, Domine non est exaltatum cor
meū, neque elati sunt oculi mei. Noui apud te & apud ma-
trem tuam, superbiam, per quam diabolus cecidit, penitus
locum non habere. Vnde ad te super ea scribere superflu-
um sit. Stultissimum quippe est docere, quod nouerat il-
le, quem doceas. Sed ne hoc ipsum tibi iactantiam gene-
ret, quod seculi iactantiam contempsisti, ne cogitatio taci-
ta subrepat, ut quia in auratis uestibus placere desisti, pla-
cere coneris in sordidis, & quando in conuentum fratrum
ueneris uel sororum, humiliter sedes, scabello te causeris
indignam, uocem ex industria, quasi confectam ieiunijs
tenuis, & deficientis mutata gressum, humeris innitaris al-
terius. Sunt quippe nonnullae exterminantes facies stras,
ut appareant hominibus ieiunantes, quae statim ut aliquem
uiderint, ingemiscunt, demittunt supercilium, & operta fa-
cie, uix unum oculum librant ad uidendum. Vestis pul-
la, cingulum sacceum, & sordidis manibus pedibusque, ue-
ter solus, quia uideri non potest, aestuat cibo. His quotidie
psalmus ille canitur, Dominus dissipabit ossa hominum,
sibi placetium. Alij uirili habitu, ueste mutata, erubescunt
esse quod natae sunt, crinem amputant, & impudenter eri-
gunt facies eunuchinas. Sunt quae cilicis uestiuntur, & cu-
cullis fabrefactis, ut ad infantiam redeant, imitantur noctu-
as & bubones. Sed ne tantum uideatur disputare de foemi-
nis, uiros quoque fuge, quos uideris catenatos, quibus foemi-
nei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pal-
lium, & nudi patientia frigoris pedes. Haec omnia argu-
menta sunt diaboli. Talem olim Antonium, talem nuper
D

Sophonium Roma cōgemuit. Qui postq̄ nobilium in-
troierunt domos, & deceperūt mulierculas oneratas pec-
catis, semper discētes, & nuncq̄ ad scientiam ueritatis per-
uenientes, tristitiam simulant, & quasi longa ieiunia, fur-
tuis noctium cibis protrahūt. Pudet dicere reliqua, ne ul-
dear potius inuehi, q̄ monere. Sunt alij (de mei ordinis ho-
minibus loquor) qui ideo presbyterium & diaconatum
ambiunt, ut mulieres licentius uideant. Omnis his cura
de uestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat.
Crines calamistri uestigio rotantur, digiti de anulis radi-
ant, & ne plantas humidior uia spargat, uix imprimunt
summa uestigia. Tales cū uideris, sponso magis existima-
to, q̄ clericos. Quidam in hoc omne studium uitamq̄ po-
suerunt, ut matronarum nomina, domos, moresq̄ cogno-
scant. Ex quibus unum, qui huius artis est princeps, bre-
uiter strictimq̄ describam, quo facilius magistro cognito,
discipulos recognoscas. Cum sole festinus exurgit, salutā
di ei ordo disponitur, uiarum compendia requiruntur,
& pene usq̄ ad cubicula dormientium, senex importu-
nus ingreditur. Si puluillum uiderit, si mantile elegans,
si aliquid domesticæ supellectilis, laudat, mirat̄, attrectat,
& se his indigere conquerens, non tam impetrat, q̄ extor-
quet, quia singulæ metuunt ueredarium urbis offendere.
Huic inimica castitas, inimica ieiunia, prædium nidoribus
probat, & altilis *γεγονοπιωωης*, uulgo pipizo nominatur.
Os barbarum & procax, & in conuicia semper armatum.
Quocuncq̄ te uerteris, primus in facie est. Quicquid nouū
insonuerit, aut auctor, aut exaggerator est famæ. Equi p̄

horarum momenta mutantur, tam nitidi tanquam fero-
ces, ut Thracij regis illum putes esse germanū. Varijs cal-
lidus hostis pugnat infidijs. Sapientior erat coluber omni-
bus bestijs, quas creauerat dominus super terram. Vnde
& Apostolus, Non, inquit, ignoramus eius astutias. Nec
affectatæ sordes, nec exquisitæ mūditiæ conueniunt Chri-
stiano. Si quid ignoras, si quid de scripturis dubitas, inter-
roga eum quem uita commendat, excusat ætas, fama non
reprobat, qui possit dicere, Desponsauī enim uos unī ui-
ro, uirginem castam exhibere Christo. Aut si non est qui
possit exponere, melius est aliqd nescire secure, q̄ cum pe-
riculo discere. Memēto, quia in medio laqueorū ambulas,
& multæ ueteranæ uirgines, castitatis indubitatæ, in ipso
mortis limine coronā pdidere de manibus. Si quæ ancil-
lulæ sunt comites propositi tui, ne erigaris aduersus eas,
ne infleris ut domina. Vnū spōsum habere cœpistis, simul
psallitis, Christi simul corpus accipitis, cur mensa diuersa
sit? Prouocent & alię, Honor uirginū sit inuitatio cætera-
rum. Quod si aliquā senseris infirmiore in fide, suscipe,
cōsolare, blandire. & pudicitia illius fac lucrū tuū. Si qua
simulat, fugiens seruitutē, huic apertæ Apostolū lege, Me-
lius ē nubere q̄ uri. Eas autē uirgines & uiduas quæ otiosæ
& curiosæ domos circūeunt matronarū, quæ rubore fron-
tis abstrito, parasitos uincunt mimorū, quasi qualdā pestes
abijce. Corruptunt mores bonos, confabulationes pessi-
mæ. Nulla illis nisi uentris cura est, & quæ uentri sunt p-
xima. Istiusmodi hortari solent, & dicere, Mi catella, rebus
tuis utere, & uiue dum uiuis, & nunquid filijs tuis seruas?

D ij

Vinosæ atque lasciuæ, quiduis male insinuant, ac ferreas
quoque mentes ad delicias emolliunt. Et cum luxuriatæ fue-
rint in Christo, nubere uolunt, habentes damnationem,
quod primam fidem irritâ fecerunt. Nec tibi disertam ul-
tum uelis uideri, aut lyrici festiuo carminis metro ludere.
Non delumbem matronarum saluam delicata secteris,
quæ nunc strictis dentibus, nunc labijs dissolutis, balbuti-
entem linguam in dimidiata uerba moderantur, rusticum
putantes omne quod nascitur, Adeo illis adulterium etiã
linguæ placet. Quæ enim cõmunicatio luci ad tenebras?
Qui consensus Christo cum Belial? Quid facit cum psal-
terio Horatius? cum euangelijs Maro? cum apostolis Ci-
cero? Nonne scandalizatur frater, si te uiderit in idolio re-
cumbentem? Et licet omnia munda mundis, & nihil reijci-
endum, quod cum gratiarum actione percipitur, tamen si-
mul bibere non debemus calicem Christi, & calicem dæ-
moniorum. Referam tibi meæ infelicitatis historiã. Cũ
ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis,
& quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi, pro-
pter cœlorum me regna castrassem, & Hierosolymam mi-
litaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romæ sum-
mo studio ac labore confeceram, carere non poterã. Itaque
miser ego lecturus Tullium ieiunabam. Post noctiũ cre-
bras uigilias post lachrymas, quas mihi præteritorum re-
cordatio peccatorum ex imis uisceribus eruebat, Plautus
sumebatur in manus. Si quando in memet reuersus pro-
phetas legere cœpisssem, sermo horrebat incultus. Et quia
lumen cæcis oculis non uidebam, non oculorum putabã.

culpam esse, sed solis. Dum ita me antiquus serpens illu-
deret, in media ferme quadragesima medullis infusa febris,
corpus inuasit exhaustum, & sine ulla requie (quod dictu
quoque incredibile sit) sic infelicia membra depasta est, ut
ossibus uix haererem. Interim parantur exequia, & uitalis
animae calor, toto frigescente iam corpore, in solo tantum
tepente pectusculo palpitabat, cum subito raptus in spiri-
tu ad tribunal iudicis pertrahor, ubi tantum luminis, & tam-
tum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut proiectus
in terram, sursum aspicere non auderem. Interrogatus de
conditione, Christianum me esse respondi. Et ille qui praesidebat,
Mentiris ait, Ciceronianuses, non Christianus,
Vbi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Ilico obmutui,
& inter uerbera (nam caedi me iusserat) conscientiae magis
igne torquebar, illum mecum uersiculum reputans, In in-
ferno autem quis confitebitur tibi? Clamare autem coepi,
& eiulans dicere, Miserere mei domine, miserere mei. Haec
uox inter flagella resonabat. Tandem ad praesidentis ge-
nua prouoluti qui assisterant, precabantur, ut ueniam tribu-
eret adolescentiae, & errori locum poenitentiae commoda-
ret, exacturus deinde cruciatum, si gentilium literarum li-
bros aliquando legissem. Ego qui in tanto constrictus ar-
ticulo, uellem etiam maiora promittere, deierare coepi, &
nomen eius obtestans dicere, Domine si unquam habuero codi-
ces seculares, si legero, te negaui. In hac sacramenti uerba di-
missus, reuertor ad superiores, & mirantibus cunctis, oculos
aperio, tanto lachrymarum imbri perfusos, ut etiam incre-
dulis fidem facerem ex dolore. Nec uero sopor ille fuerat,

D iij

*Emergo hys
uincit*

aut uana somnia, quibus sepe deludimur. Testis est tribu-
nal illud ante quod iacui. Testis iudicium triste quod ti-
mui. Ita mihi nunq̄ contingat in talem incidere quæstio-
nem, liuentes habuisse scapulas, plagas sensisse post so-
mnū, & tanto dehinc studio diuina legisse, quanto nō an-
te mortalia legerā. Auaritiæ tibi quoq̄ uitādum est ma-
lum, non ut aliena non appetas (hoc enim & publicæ le-
ges puniunt), sed quo tua, quæ sunt aliena non serues. Si
in alieno (inquit) fideles non fuistis, quod uestrū est, quis
dabit uobis? Aliena nobis auri argentiq̄ sunt pondera,
nostra possessio spiritualis ē, de qua alibi dicit, Redēptio
animæ uirgī, propriæ diuitiæ. Nemo enim potest duobus
dominis seruire, aut enim unū odiet, & alterum amabit,
aut unum patietur, & alterum contemnet. Non potestis
deo seruire, & mammonæ, id est diuitijs. Nam gentili Sy-
rorum lingua mammona diuitiæ nuncupantur. Cogita-
tio uictus, spinæ sunt fidei. Radix auaritiæ, cura gentiliū.
At dicis, Puella sum delicata, & quæ manibus meis labo-
rare non possum. Si ad senectam uenero, si ægrotare cœ-
pero, quis meī miserebitur? Audi apostolis loquentem le-
sum. Ne cogitetis in corde uestro, quid manducetis, neq̄
corpori uestro, quid induamini. Nonne anima plus est q̄
esca, & corpus plus q̄ uestimentum? Respiciite uolatilla
cœli, quoniam non serunt, neq̄ metunt, neq̄ congregant
in horrea, & pater uester pascit illa. Si uestis defuerit, lilia
proponātur. Si esurieris, audias, beatos pauperes & esuriē-
tes. Si aliquis te afflixerit dolor, legito, Propter hoc com-
placeo mihi in infirmitatibus meis, & datus est mihi sta-

mulus carnis meæ, angelus Satana, qui me colaphizet,
ne extollar. Latere in omnibus iudicijs dei, Exultauerunt
enim filia Iudæ in omnibus iudicijs tuis domine. Illa tibi
semper in ore uox resonet, Nudus exiui de utero matris
meæ, nudus redeam. Et, nihil intulimus in hunc mundum,
neque auferre quid possumus. At nunc plerumque uideas ar
maria stipare uestibus, tunicas mutare quotidie, & tamen
tineas non possis superare. Quæ religiosior fuerit, unum
exterit uestimentum, & plenis arcibus pannos trahit. Infici
untur membranæ colore purpureo, aurum liquefit in
literas, gemmis codices uestiuntur. & nudus ante fores eo
rum Christus emoritur. Cum manum egentibus porrexerint,
buccinant. Cum ad agapen uocauerint, præco conducit
tur. Vidi nuper (nomen taceo, ne satyram putes) nobilissi
mam Romanarum mulierem in basilica beati Petri se
miuiris antecedentibus, propria manu, quo religiosior pu
taretur, singulos nummos dispartire pauperibus. Interea
(ut usu nosse perfacile est) anus quædam annis panis
obsita præcurrit, ut alterum nummum acciperet, ad quæ
cum ordine peruenisset, pugnus porrigitur pro denario,
& tanti criminis reus sanguis effunditur. Radix omnium
malorum est auaritia. Ideoque ab Apostolo idolorum
seruitus appellatur. Quare primum regnum dei, & hæc
omnia apponentur tibi. Non occidet fame animam
iustam dominus. Iunior fui & senui, non uidi iustum
derelictum, neque semen eius quærens panem. He
lias coruis ministrantibus pascitur. Vidua Sareptana
ipsa cum filiis nocte moritura, prophetam pascit esuriens.

Et mirum in modum capface completo, qui alēdus uene-
rat, alit. Petrus apostolus inquit, Argentum & aurū non
habeo, quod autem habeo, hoc tibi do In nomine domi-
ni Iesu surge & ambula. At nunc multi, licet sermone ta-
ceant, opere loquūtur. Fidem & misericordiam nō habeo,
quod autem habeo, argentum & aurum, hoc tibi non do.
Habentes autem uictum & uestitum, his contenti simus.
Audi Iacob quid sua oratione postulet, Si fuerit dominus
meus mecum, & seruauerit me in uia hac, per quam ego
iter facio, & dederit mihi panem ad manducādum, & ue-
stitum ad uestiendum. Tantū necessaria deprecatus est,
& post annos uiginti diues dominus, & ditior pater, ad ter-
ram reuertit Chanaan. Infinita de scripturis exēpla sup-
peditant, quæ auaritiā doceant esse fugiendam. Verum
quā nūc ex parte de ea dicitur, & suo (si Christus annue-
rit) uolumini reseruatur, quid ante non plures annos Ni-
triae gestum sit, referemus. Quidam ex fratribus parcior,
magis q̄ auarior, & nesciens triginta argenteis dominum
uenditum, centum solidos quos lina texendo acquisierat,
moriens dereliquit. Initum est inter monachos consilium
(nam in eodem loco circiter quinq; milia, diuisis cellulis
habitabant) quid facto opus esset. Alij pauperibus distri-
buendos esse dicebant, alij dandos ecclesie, nonnulli pa-
rentibus remittendos. Macarius uero & Pambo & Isido-
rus, & cæteri quos patres uocant, sancto in eis loquente
spiritu, decreuerunt infodiendos esse cum eodem, dicētes,
Pecunia tua tecum sit in perditionem. Nec hoc crudeliter
quisq; putet factum, tantus cunctos per totam Aegyptū

terror inuasit, ut unū solidum dimisisse, sit criminis. Et quo-
niam monachorum fecimus mentiouem, & te scio liben-
ter audire quæ sancta sunt, aurem paulisper accommoda.

Tria sunt in Aegypto genera monachorū. Primum cœ-
nobia, quod illi Sauses gentili lingua uocant, nos in cō-
mune uiuentes possimus appellare. Secundum Anacho-
rita, qui soli habitant per deserta, & ab eo quod procul ab
hominibus recesserint, nuncupantur. Tertium genus est,
quod Remoboth dicunt, deterrimum atq; neglectum, &
quod in nostra prouincia, aut solum, aut primum est. Hi
bini uel terni, nec multo plures simul habitant, suo arbitra-
tu ac ditione uiuentes. Et de eo quod laborauerint, in me-
dium partes conferunt, ut habeant alimenta communia.
Habitāt autem q̄ plurimi in urbibus & castellis, & quasi
ars sit sancta, nō uita, quicquid uēdiderint maioris est pre-
tij. Inter hos sæpe sunt iurgia, quia suo uiuentes cibo, nō
patiuntur se alicui esse subiectos. Reuera solent certare ie-
iunijs, & rem secreti, uictoriae faciunt. Apud hos affecta-
ta sunt omnia, laxæ manicae, caligæ follicantes, uestis cras-
sior, crebra suspiria, uisitatio uirginum, detractio clericorū.
Et si quando dies festus uenerit, saturantur ad uomitum.
His igitur quasi quibusdam pestibus exterminatis, uenia-
mus ad eos qui plures sunt & in commune habitāt, id est,
quos uocari cœnobitas diximus. Prima apud eos cōsœde-
ratio est, obedire maioribus, & quicquid iusserint facere.
Diuisi sunt per decurias atq; centurias, ita ut nouem homi-
nibus decimus præsit. Et rursus decem præpositos, sub se
centesimus habeat. Manent separati, sed iunctis cellulis,

E

Vicq; ad horam nonā, ut institutum est, nemo pergit ad alium, exceptis his decanis, quos diximus, ut si cogitationibus forte quis fluctuat, illius consoletur alloquīs. Post horam nonam in commune concurritur, psalmi resonāt, scripturæ recitantur ex more. Et completis orationibus, cunctisq; residentibus, medius quem patrem uocant, incipit disputare. Quo loquente, tantum silentium fit, ut nemo alium respicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus, in fletu est audientium. Tacitæ uoluuntur per ora lachrymæ, & ne in singultus quidem erumpit dolor. Cum uero de regno Christi, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit anuntiare uentura, uideas cūctos moderato suspirio & oculis ad cœlum leuatis intra se dicere, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo, & requiescam? Post hæc cocilium soluitur, & unaquæq; decuria cū suo parente pergit ad mensam, quibus per singulas hebdomadas uicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est. Nemo comedens loquitur. Viuitur pane, leguminibus & holeribus, quæ sale solo conduntur. Vinum tantum senes accipiunt, quibus & paruulis sæpe fit prandium, ut aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. Dehinc consurgunt pariter, & hymno dicto, ad præsepia redeunt, ibi usque ad uesperam cum suis unusquisque loquitur, & dicit, Vidistis illum & illum? Quanta in ipso sit gratia? quantum silentium? q̄ moderatus incessus? Si infirmum uiderint, consolantur. Si in dei amore feruentem, cohortantur ad studium. Et quia nocte extra orationes publicas in suo cubili unusquisq; uigilat, circumeunt cel

lulas singulorum, & aure apposita quid faciant diligenter explorant. Quem tardioſerem deprehenderint, non increpant, ſed diſſimulato quod norunt, eum ſæpius uſitant, & prius incipientes prouocant magis orare q̄ cogunt. Opus diei ſtatum eſt, quod decano redditum, fertur ad œconomũ, qui & ipſe per ſingulos meſes patri omnium cũ magno tremore reddit rationem, a quo etiam cibi cũ facti fuerit præguſtatur, Et quia nõ licet dicere cuiq̄, tunicam & ſagum textaq̄ iuncis ſtrata non habeo, ille ita uniuerſa moderatur, ut nemo quod poſtulet, habeat. Siq̄s uero cœperit egrotare, trãffertur ad exedram latioreſ, & tãto ſenũ miniſterio cõſouetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectũ. Dominicis diebus, orationi tãſum & lectionibus uocant, quod quidem & omni tempore completis opusculis faciunt. Quotidie aliquid de ſcripturis diſcitur. Ieiunium totius anni æquale eſt, excepta quadageſima, i qua ſola cõcedit̄ diſtrictius uiuere. A p̄tecoſte, cœnæ mutatur i prædia, quo & traditioni eccleſiaſtica ſatiſſiat, & uentrẽ cibo nõ onerẽt duplicato. Tales Philo Platonici ſermonis imitator, tales Iosephus græcus Liuius, in ſecũda Iudaicæ captiuitatis hiſtoria, Eſſenos refert. Verũ quia nũc de uirginibus ſcribẽs, pen e ſuperfluũ de monachis diſputaui, ad tertiuũ genus ueniam quos Ana choritas uocãt, qui & de cœnobijs exeũtes, excepto pane & ſale ad deſerta nihil perferunt amplius. Huius uitæ auctor Paulus, illuſtrator Antonius, & ut ad ſuperiora conſcẽdam, princeps Ioannes baptiſta fuit. Talem uero uirũ Hieremias quoq̄ propheta deſcribit, dicens, Bonum eſt

uiro eum portauerit iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius & tacebit, quoniam sustulit super se iugum, & dabit percussioni se maxillam, saturabitur opprobrijs, quia non in sempiternum abiciet dominus. Horum laborem & conuersationem in carne non carnis, alio tempore si uoueris explicabo. Nunc ad propositum redeam, quia de avaritia differens ad monachos ueneram. Quorum tibi exempla proponens, non dico aurum atque argentum & ceteras opes, sed ipsam terram & coelum despiciens, & Christo copulata cantabis, Pars mea dominus. Post haec quaeque: A postolus orare nos semper iubebat, & sanctis etiam ipse fit somnus oratio, tamen diuisas orandi horas debemus habere, ut si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque & uesperam, nemo est qui nesciat. Nec cibi sumatur, nisi oratione praemissa, nec recedatur a mensa nisi referatur creatori gratia. Noctibus bis terque surgendum, reuoluenda quae de scripturis memoriter retinemus. Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat antequam sessio, nec prius corpusculum requiescat, quam anima pascatur. Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem. Nulli detrahas, nec aduersum filium matris tuae ponas scandalum. Tu quies ut alienum seruum iudices: Suo domino stat, aut cadit. Stabit autem. Potens est enim dominus statuere illum. Nec si biduo ieiunaueris, putes te non ieiunantibus esse meliorem. Tu ieiunas, & irasceris. ille comedit, & forte blauditur. Tu uexationem mentis & uentris esuriem, rixatione dicitur

geris, ille moderatius alitur, & deo gratias agit. Vnde quo-
tidie clamat Elías, Nō tale ieiunium elegi dicit dominus.
Et iterum, In diebus ieiuniorum uestrorum inueniūtur uo-
luntates uestre, & omnes quī sub uestra potestate sunt sti-
mulatis. In iudicijs & litibus ieiunatis, & percutitis pugnīs
humilem. Vt quid mihi ieiunatis? Quale illud potest esse
ieiunium, cuius iram non dicam nox occupat, sed luna in-
tegram derelinquit? Te ipsam cōsiderans, nolī in alterius
ruina, sed in tuo opere gloriari. Nec illarum tibi exempla
proponas, quæ carnis curam facientes, possessionum redi-
tus, & quotidianas domus impensas supputant. Neq; em̄
undecim apostoli, Iudæ pditione sunt fracti, nec Phyge-
lō & Alexandro facientibus naufragium, cæteri a cursu fi-
dei substiterunt. Nec dicas, illa & illa suis rebus fruitur, ho-
noratur ab hominibus, fratres ad eum conueniunt & soro-
res. Nunquid ideo uirgo esse desiuit? Primum dubiū est,
an uirgo sit talis. Non enim quomodo uidet homo, uidet
deus. Homo uidet in facie, deus autem uidet in corde. De
hinc etiam si corpore uirgo est, an spiritu uirgo sit, nescio.
Apostolus autem ita uirginē definiuit, Vt sit sancta cor-
pore & spiritu. Ad extremum, habeat sibi gloriā suam.
Vincat Pauli sententiā, delicijs fruatur & uiuat. Nos me-
liorum exempla sectemur. Propone tibi beatam Mariam,
quæ tantæ extitit puritatis, ut mater domini esse mereret.
Ad quam cum angelus Gabriel in uiri specie descendis-
set, dicens, Aue gratia plena, dominus tecum, consternata
& perterrita, respondere non potuit. Nunq̄ em̄ a uiro fue-
rat saluata. Deniq; nūtiū discit & loquitur, & quæ ho-

minem formidabat, cum angelo fabulatur intrepida. *Potes & tu esse domini. Accipe tibi tomum magnum, nouum, & scribe in eo stilo hominis, uelociter spolia detrahe, & postquam accesseris ad prophetissam, & conceperis in utero, & pepereris filium, dic, A timore tuo domine concepimus, & doluimus, & peperimus spiritum saluationis tuæ, quem fecimus super terram. Tunc & filius tuus tibi respõdebit, & dicet, Ecce mater mea & fratres mei. Et mirum in modum, illum quem in latitudine pectoris tui pauloante descripseras, quem in nouitate cordis stilo signaueras, postquam spolia ex hostibus receperit, postquam denudauerit principatus & potestates, & affixerit eas cruci, conceptus adolescit, & maior effectus sponsam te incipit habere de matre. Grandis labor, sed grande præmium, esse quod martyres, esse quod apostoli, esse quod Christus est. Quæ quidem uniuersa tunc profunt, cum in ecclesia fiunt, cum in uno domo pascha celebramus, si arcam ingredimur cum Noe, si pereunte Hiericho, Rahab meretrix iustificata nos continet. Cæterum uirgines, quales apud diuersas hæreses, & quales apud impurissimum Manichæum esse dicuntur, scorta sunt existimandæ non uirgines. Si enim corporis earum autor est diabolus, quomodo possunt honorare plasmationem hostis sui? Sed quia sciunt uirginale uocabulum gloriosum, sub ouium pellibus, lupos tegunt, Christum mentitur antichristus, & turpitudinem uitæ, falso nominis honore conuestiunt. Gaude soror, gaude filia, gaude mi uirgo, quia quod aliæ simulant, tu uere esse cœpisti. Hæc omnia quæ digessimus,*

dura uidebuntur ei, quæ non amat Christum. Qui autem omnem seculi pompam pro purgamento habuerit, & uana duxerit uniuersa sub sole ut Christum lucrifaciat, qui commortuus est domino suo, & consurrexit, & crucifixit carnem cum uitijs & concupiscentijs, libere proclamabit, Quis nos separabit a charitate dei? an tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Et iterum, Certus sum, quia neq; mors, neque uita, neque angelus, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque excelsum, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare a charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Dei filius pro nostra salute, hominis factus est filius. Nouem mēibus in utero ut nascatur expectat. Fastidia sustinet, cruentus egreditur, pannis inuoluitur, blanditijs delinitur, & ille pugillo mundum includens, præsepis continetur angustijs. Taceo quod usq; ad triginta annos ignobilis, parentum paupertate contentus est, uerberatur & tacet, crucifigitur & pro crucifigentibus deprecatur. Quid igitur retribuam domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. Pretiosa est in cōspectu domini mors sanctorum eius. Hæc est sola digna retributio, cū sanguis sanguine compensatur, & redēpti cruore Christi pro redemptore libenter occumbimus. Quis sanctorum sine certamine coronatus est? Abel iustus occiditur. Abraham uxorem periclitatur amittere. Et ne in im-

mensum uolumen extendam, quare & inuenies singulos
aduersa perpeffos. Solus in delicijs Solomon fuit, & forsi-
tan ideo corruit. Quē enim diligit dominus corripit. Ca-
stigmat autē omnem filium quem recipit. Nōne melius est
breui tempore dimicare, ferre uallum, arma sumere, lassē-
scere sub lorica, & postea gaudere uictorem, q̄ impatētia
unius horæ seruire perpetuo? Nihil amantibus durum est,
nullus difficilis cupienti labor est. Respice quanta Iacob
pro Rachel pacta uxore sustinuit. Et seruiuit (inquit scri-
ptura) Iacob pro Rachel annis septem. Et erant in cōspe-
ctu eius quasi dies pauci. Vnde & ipse postea memorat. In
die urebar aestu, & gelu nocte. Amemus & nos Christū,
eiusq; semper quæramus amplexus, & facile uidebit omne
difficile, breuia putabimus uniuersa quæ longa sunt, & ia-
culo illius uulnerati, per horarum momenta dicemus, Heu
me, quia peregrinatio mea prolongata est a me. Non sunt
enim condignæ passionēs huius temporis ad futuram glo-
riam, quæ reuelabitur in nobis. Quia tribulatio patienti-
am operatur, patientia autem probationem, probatio au-
tem spem, spes autem non confundit. Quando tibi gra-
ue uidetur esse quod sustines, Pauli secundam epistolā ad
Corinthios lege. In laboribus plurimū, in carceribus abun-
dantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.
A Iudeis quinquies quadragenas una minus accepi, ter uir-
gis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, no-
cte & die in profundo maris fui. In itineribus sepius, pericu-
lis fluminū, periculis latronum, periculis ex genere, pericu-
lis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, pe-

riculis in mari, periculis in falsis fratribus, in laboribus, in
miserijs, in uigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs pluri-
mis, in frigore & nuditate. Quis nostrū saltē minimā por-
tionē de catalogo harū sibi potest uindicare uirtutū? Ob-
quæ ille postea cōfidenter aiebat, Cursum consummaui,
fidē seruaui, Superest mihi corona iustitiæ, quā retribuet
mihi ī illa die dominus, iustus iudex. Si cibus insulsior fue-
rit contristamur, & putamus deo nos aliquod præstare be-
neficiū, cū aquatius uinū bibimus. Calix frāgitur, mensa
subuertit, uerba resonāt, & aqua tepidior sanguine uin-
dicat. Regnū celorū uim patitur, & uiolēti rapiūt illud.
Nisi uim feceris, celorum regna non capies. Nisi pulsa-
ueris inportune, panē non accipies sacramenti. An non
tibi uidetur uiolentia, cum caro cupit esse quod deus est,
& illuc unde angeli corruerunt, angelos iudicatura con-
scēdit? Egredere quæso paulisper de carcere, & præsentis
laboris ante oculos tuos tibi pinge mercedem, quam nec
oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascen-
dit. Qualis erit illa dies, cum tibi Maria mater domini, cho-
ris occurret comitata uirgineis? cū post rubrū mare, sub-
merso cum suo exercitu Pharaone, tympanum tenēs præ-
cinet responsuris, Cantemus domino, gloriose em̄ honori-
ficatus est, equum & ascensorē proiecit in mare. Tūc The-
cla in tuos læta uolabit amplexus. Tūc & ipse sponsus
occurreret, & dicet, Surge, ueni proxima mea, sponsa mea,
columba mea, quia ecce hyems transiit, pluuia abiit sibi.
Tunc angeli mirabuntur, & dicent, Quæ est ista prospici-
ens quasi diluculum, speciosa ut luna, electa ut sol: Vi-

debunt te filiae, & laudabunt reginae, & concubinae praedicabunt. Hinc & alius castitatis chorus occurret. Sara cum nuptis ueniet. Filia Phanuelis Anna, cum uidiis. Erunt in diuersis gregibus carnis & spiritus, matres tuae. Laetabit illa quod genuit, exultabit ista quod docuit. Tunc uere super asinam dominus ascendet, & caelestem ingredietur Hierusalem. Tunc paruuli de quibus in Esaia saluator est, fatur, Ecce ego & pueri quos mihi dedit deus, palmas uictoriae subleuantes, consono ore cantabunt, Osanna in excelsis. Benedictus qui uenit in nomine domini, osanna in excelsis. Tunc centum quadragintaquatuor milia in conspectu throni & seniorum tenebunt citharas, & cantabunt canticum nouum. Et nemo poterit dicere canticum illud nisi numerus definitus. Hi sunt qui cum mulieribus se non coinquinauerunt, uirgines enim permanserunt. Hi sequuntur agnum quocumque uadit. Quotiescunque te uana seculi delectauerit ambitio, quoties in mundo aliquid uideris gloriosum, ad paradysum mente transgredere, esse incipe quod futura es, & audies a spouso tuo, Pone me sicut umbraculum in corde tuo, sicut signaculum in brachio tuo, & corpore pariter ac mente munita clamabis, & dices, Aequae multae non poterunt extinguere charitatem, & flumina non operient eam.

SCHOLIA

Nerespexeris inquit.) Alludit ad historiam Lot fugientis e Sodomā. Non eos qui foris sunt.) Ita diuus Paulus appellat alienos a professione Christi. Quid mihi de his quae foris sunt iudicare? Escae eius electae.) Apud Habacuc capitulum primo, Diabolus piscatori confertur, qui illicit escam homines,

& attrahit uelut hamo. Nā esca pprie dicitur, qđ hamo p̄ligi-
 sur. Vnde dictū est & inescare. Et deuorato Iuda) iam em
 pactus erat de pdēdo Christo. Verba Christi ad Petrum sunt,
 Lucæ ca. uicelimo secūdo. Timeamus illā pphetiā.) Est apud
 Amos ca. viij. In illa die y gines deficiēt pulchræ. Porro καλός
 græcis & bonū significat & pulchrū. Descēde, sede ī terra)
 uerba sunt Esaiæ ca. xlvij. Nudabit & posteriora.) Ita cōmī
 nat deus Hierem. ca. xij. Diuasticasti pedes tuos omni trāseū
 ti.) Locus est apud Ezechielē, ca. xvi. Et usq; ad uerticē pol-
 luef.) Ita Hieremias ca. ij. Filij quoq; Mēpheos & Taphneos cō
 stuprauerūt te usq; ad uerticē. Vnde ergo nudabo & reuelabo
 fœinora & posteriora tua cōtra faciē tuā, & apparebit ignomi-
 nia tua. Et Sirenæ nidificēt.) Locus est apud Esaiā ca. xxxiiij.
 qđ de uocabulis portetorum nō nihil uariāt interpretes. Et
 ante hominē suū.) Hic locus in omnibus quæ uiderim exēpla-
 ribus erat deprauatus. Quædam habebant, & quidē uetustio-
 ra, Et ante hominē suū, iam carne præmortua. Quædā ita, Et
 ante hominē, sua iam carne præmortuū. Alia rursum, Et ante
 omnē esum, iā carne præmortua. Fortasse legendū, Intra sinū,
 iam carne præmortua, aut intra hominē suū, iā carne præmor-
 tua, ut intelligas libidinē in sola mente uiuere, cum in carne sit
 mortua. Aut ante hominē suum, id est, ante senectam. Inde
 nascunt Moabitæ.) Nempe ex incestu. Locus est Deuterono-
 mij, ca. xxiij, ubi deus uetat ne Israelitæ fœdus, aut pacē ineant
 unq; cū Moabitis & Ammonitis, neue sināt illos uenire ī eccle-
 siam, quod illis ex Aegypto ueniētibus, nō occurrerint cum pa-
 ne & aqua, quodq; Balaam aduersus illos conduxerint, ut ma-
 lediceret populo. Panis Collyrida.) Locus est tertio Regum
 libro, capite uicesimo nono. Nonnulli codices habebant, Colly-
 re. Est aut Collyra genus panis, siue crusti, a quo diminiutiuum
 Collyris. Vnde Collyridas in Leuitico legimus, quæ frixa est
 farina, aut alio quouis humore cohærēs. Conditum ei me-
 rum.) Mulsū significat, quod olim erat in delicijs, Vel potius
 quod græci uocant ὄνον ἀρωματίτην uulgo Hippocraticum
 appellant. Contusione mutatas.) Confundunt em conusas
 carnes ac miscēt, ut sorberi quoq; possint, & nō uideantur esse
 carnes. Marā in dulcedinē. Nam Mara hebræis so-
 nat amaritudinē. Locus est Exodi, xv. Neco & illos.) Lo-
 cus est li, regū, iij, ca. vi. Diuina respōsa.) Nō quod interro-
 gati sint dicta, sed quod simpliciter oracula responsa dicantur.

F ij

Super sidera inimicus su.) Nam ita minatur apud Esa. ca. xliij.
In cœlum conscendâ, super astra dei exaltabo folium meum.
Et ludetibus pedibus.) Ita depinxit lasciuum & fractum puel-
larum incessum, quod alibi quoque ludere pedibus uocat. Aliæ ue-
ro sterilitatem præbent.) Videtur deesse, sibi. Ut intelligas sterilitate-
tem non a natura datâ, sed pharmacis accersitam, quæ citra peri-
culum conceptus, fornicent. Et hic nondum natum uocat, nondum con-
ceptum. Nam conceptus abortio occiditur, de quo mox dicit. Vo-
lunt uiuere.) Quidam codices habebant, uideri. Viuere autem hic uo-
cat, uoluptarie uiuere, sicuti Catullus, Viuamus mea Lesbia;
Porro lepide ac festiue dixit, quod illas tetricas & illepidas ap-
pellare soleant, quæ seuerius uiuant. Miseram & Manicheam
uocant.) Miseram ob sordes, Manicheam quod Manichei
cum turpissima committerent flagitia, tamen nec carnibus, nec ouis ues-
cebant. Negabant enim ullo mortuo corpore uescendū esse, quod
inde substantia diuina recessisset; Nec uinum bibebant, quod dice-
bant esse fel principis tenebrarum. Uis tamen uesciebant, ut testatur
Augustus, in libro ad Quoduultdeum. Et consequenter.) Id est,
congrue & merito. Sic enim aliquoties Hieronymus utitur hoc ad-
uerbio. Purpura tamen in ueste tenuis.) Depingit uirginem deli-
catam, & sibi parum constantem, cum quædam castimoniam præse-
ferant, quædam lasciuam indicent. Purpura tenuis, id est, minus
ardens, cum pulla uestis magis conueniat ueræ uirgini. Et laxius,
ut crines.) Cum oporteat uirginem comam radere, hæc tantum
laxius alligat, ita tamen, ut hac occasione capillos ostendet. Soc-
cus uilius.) Soccus delicatum erat calciamentum, uirgines oportebat
nudis incedere pedibus. At illæ soccis utebantur, nisi quod pau-
lo uilius. Et per humeros hyacinthina lena.) Hic quoque
locus in omnibus erat deprauatissimus. Forte legendum, Et per
humeros lena forte uolitans. Nam lena pallium est fœmineum ac
delicatum. Forte uolitans dixit, quod non esset astricta sicut cæteris,
sed temere uolitare, neglectum magis quam sanctimoniam indicans.
Succinctæ manicæ.) Obicitur apud Maronem Troianis ueluti
delicatum, quod tunicæ haberent manicas. Hæc uirgo hoc tantum
distabat, quod manicas haberet, non pendulas, sed astrictas bra-
chij. Solutis genibus.) Nam hoc quoque putabant ad uirginitate-
tem pertinere, cum sit lasciuum. Animaduerte lector, ita de-
pinxit hanc uirginem, ut quod minus ad rem pertineret, in hoc es-
set aliqua uirginis imago, uelut in socco uiliore, in laxius alliga-
to capite. In his uero quæ proprius ad rem pertinebant, ut in ser-

mone, i cibo, in incessu, appareret ipudicus aius. Vñ in eccle-
 sias Agapetarū pestis.) Ἀγαπητή græce significat dilectam. Eo
 uerbo Paulus libēter utitur. Vñ hac uoce isti abutebāt ad præ-
 textūdū turpe cōmerciū suū. Vñ meretrices uniuiræ.) Vni-
 uiræ, quas græci uocāt *μωρογᾶμοις*. Vt sub nomine uirgina
 li lucrosius.) Proderat em̄ illis uirginis titulus ad lucrū, non ad
 sanctimoniā, atq; hæc lectio magis pbat, quod alias simile quid-
 dam scripsit Hieronymus. Et ita qdā habebāt exēplaria. Vi-
 de nū legēdū, Lurcosius, hoc est, pditius, aut certe licētius pere-
 ant. Nā citius qd̄ in plerisq; scriptū erat, mihi nō pbat, neque
 multo magis arridet Lurcosius, Lucrosius ut dixi, maxime p
 bo. Frater sororē.) Mirū est, ut isti qui grāmaticē, ceurē tri-
 uiale & humilē aspiciant, & sophisticis argutijs freti, nihil nō pos-
 se sese putāt, inuertāt oīa. Locus hic ita distinguēdus est, ne re-
 petā, quot modis fuerit cōfusus, Frater sororē & ginē deserit,
 cōlibē spernit & go germanū, Fratē q̄rit extraneū. Atq; hūc
 locū nominatim Seuerus Sulpitius citat. Explosis igitur &
 exterminatis.) Ausim deierare, & exterminatis, subditia esse
 uerba, & aut addita esse, ab audaculo quopiā, aut p his scripsit
 se Hieronymū, & exhibitis. Vtrūq; trāslatum est a theatris, in
 quibus fabula q̄ populo displicuisset, sibilis & strepitu pedum
 enjciatur. Caucas Bastarnæ.) Bastarnæ aues sunt olim in
 delicijs habitæ, sicuti pdices. Nomē & hodie apud uulgos obti-
 nent. Ordo semiuro.) Aut eunuchos intelligit, q̄rū ministe-
 rio nobiles matronæ gaudebant, aut ministros molles ac deli-
 cijs effœminatos. Castæ nocant & nōnæ.) Ita nūc quoq; uul-
 go uocant monachæ & gines. Apparet hoc uerbi ab Aegyptijs
 in uulgi sermonē uenisse. Solēt em̄ aliquoties res, eius gētis sor-
 tiri uocabula, i qua p̄cipuæ fuerint, aut unde natæ sint. Aegy-
 ptus aut̄ p̄ter cæteras puincias, monachorū gregibus abunda-
 bat. Quorū lingua puto monachos & sanctos, Nōnos fuisse uo-
 caros, monachas & gines, Nōnas. Nā meminit Suidas Non-
 ni cuiusdā Aegyptij, qui Parthenū Theologū, & sibus sit iter-
 pretatus. Et parthenos græce & ginē sonat, q̄si uirgo scripserit
 in & ginē. Deniq; in hac eadē epistola aliquāto inferius, cum de
 monachorū agit generibus, Aegyptijs uti uocabulis. Et post
 cœnā dubiā.) Retulit uerba Terentij ex Phormione. Cœna du-
 bia apponit. Dubiā uocat opiparā, ubi dubites quid sumas po-
 tissimū. Libidinū pōpa.) In pōpa circūferunt q̄ delectēt ocu-
 los. Et libidines suā habēt pōpā, cū ostēdūt cōmoda matrimo-

nij, & aīo subñciūt uaria cōiugij delectamēta. Omnes adul-
terātes.) Ita legis Osee ca. septimo. Omnes adulterātes, quasi
clibanus succēsus a coquēte. Nā ad eū modum describit aētus
impiorū. Sed habēt aliū felicē aētū & pij, cū diuinæ scripturæ
flagrāt amore. In imagine perambulat.) Allusit ad uerba
psalmi, xxxviij. Verūtāmē i imagine pertrāsīt homo, Sed &
frustra cōturbat. In imagine perābulāt, qui secundū spiritum
uiuūt, nō secūdū carnē, iuxta spiritū & animā, ad dei imaginē
cōditī sumus, quia spiritus est & inuisibilis, iuxta carnē, ad pe-
cudū accedimus similitudinē. Mulieris ista lex est, nō mea.)
Quasi uirgo mulier nō sit, quod dicat Paulus, Diuisa est mu-
lier & uirgo. Esto cicada noctiū.) Cicadæ nō canūt, nisi fer-
uescente sole, mane uesperī, & nocte mutæ sunt, & cū canunt,
stridore quodā lugubri strepūt. At pij noctu maxime canunt.
Et cicadæ rore paicunt, pij lachrymis. Postq̄ de duritiā na-
tionū.) Allusit simul & ad euāgelicum illud, Potēs est deus de
his lapidibus suscitare filios Abrahæ, & ad locum prophetæ.
Pertrāsēunt quippe mūdi huius turbines.) Allusit ad mysti-
cas rotas Ezechielis. Cōsuant tunicas.) Matres cogunt para-
re tunicas proli, At Christi tunica fuit incōsutilis, simplicitatē
significās uere Christiani hominis, nihil curātis, nisi bonā mē-
tem. At quæ nupsit, hāc perdidit tunicā, distracta in uarias cu-
ras. Fletu lugentes quod nati sunt.) Quāq̄ uere cōsentiant
exēplaria, quæ quidē ipse uiderim, tamē quoniā omnino non
cōsistit hęc lectio, nō dubitē mutare ad hūc modū, Quos uagi-
tus delectat infantiū, in ipso lucis exordio fletu lugentiū quo
nati sunt. Aut, flentiū quod nati sunt, Sic & Plynus, A fletu ui-
tam auspicamur. Nam prima uox nascētis hominis, ploratus
est. Et ad similitudinē Dei unione foecūda.) Quid dignum
imprecemur sophisticis Theologis, qui nihil nō deprauarūt?
Non succurrētibus exēplaribus, ita legendū arbitror, Nullo
extrinsecus cohærēte germine, sed ad conchæ similitudinē,
dei unione foecūda. Siquidē gēma est unio, quā & margaritā
uocant. Ea nascit in cōchis purissimis, nō aliūde concepta, quā
ex ipsis cōchis, quibus cohæret. Plynus e rore cœlesti concipi
putat, ac mirā habere cū cœlo cognationē. Lege Plynij caput,
xxxv. li. noni. Porro quod ait, Dei unione, aut interpretādo di-
xit per appositionē, foecunda unione, qui deus est, aut unione
dei, cui cōiūcta fuit, ifusione diuinæ naturæ, simulq̄ fit allusio
ad uocē unionis, q̄ gēma significat, Paulo post, memor huius

similitudinis, lego, inquit, de spinis rosam, de terra aurū, de cō
cha margaritū. Quod phibuerat.) Quod, nēpe habere calī
gas, Caliga calciamentū genus est. Nā hoc caligaz genus q̄ nūc
utimur, ueteres nesciebāt, Prohibet Christus, ne calciamenta
haberēt apostoli, Et tamē Petrus in actibus ab angelo iubetur
calciare se caligis suis. Vñ hæc nō ad literā accipiēda sunt, sed
eatenus, ut itelligamus oīm rerū corporeaz sollicitudinē ab-
ijciēdā ihs, qui uelint apostolico fungi munere. Nūquid qui
arat tota die arabit.) Locus est apud Esaiam, ca, xxvij, quem
trahit ad matrimoniū & ad uirginitatē, ut intelligas arandi &
serēdi tempus præterisse, nunc esse tempus colligendi fructus.
Fructus autē matrimoniū uirginitas. Neq; em̄ audiēdi sunt.)
Quidā opinati sunt Paulo uxore fuisse, quā in epistolis sorore
appellās, saluere iubet, & cōmēdat. Nouelle oliuarū.) Quidā
codices habebāt, sicut nouellatio oliuarū. Vt de typicis ta-
ceāt.) Innuens illa aliud significare, q̄ sonēt. Atq; ita duplici re-
pellit argumēto, primū quod typū habeāt, deinde qd̄ una eū
Mosaica lege desiderint, sicuti bellū & alia plæraq;. Diuisa ē
mulier & uirgo.) Et hic secus citat, q̄ nos uulgo legimus, ut
indicatū est alibi. Et Ambrosij nostri.) Nostrū add idit, qd̄
Tertullianus Afer fuerit, ut & Cyprianus, Damasus; Hispa-
nus, Ambro, Italus, aut si mauis Gallus. Theristrū siue theri-
striū) Vestis ē, cuius meminit Iulius pollux, Apparet fuisse ue-
stem æstiuā. Nā ἤρεος æstatē significat. Populus meus itra.)
Locus ē apud Esaiā, ca, xxvi. Danieli cœnaculo.) Est apud
ip̄m, ca, vi. Cœnaculū autē est pars domus superior, quā uulgo
solariū uocāt. Ne inanis gloriæ ardore.) Forte legendū est
ardore nidore ueluti fumo, qui ad tēpus delectet, nō expleat
aim, ut nidor carniū. Et digito mōstreris.) Allusit ad Persia-
num illud, At pulchrum est digito mōstrari, & dici, hic est.
Facies eunuchinas.) Nā eunuchi, cū uestē habeant uirilē, tū
imberbi mento, speciē foeminae præ se ferunt. Quod uide-
ris catenatos.) Qui cinguli loco, catenis ferreis utebantur ad
ostentationē sanctimonix. Cōtra Apostolū.) qui scripserit
indecorum esse uiro, si comam nutriat. Et nudi inpatientia
frigoris pedes.) Aut legendum, Nudi patientia frigoris pedes,
aut tumidi inpatientia frigoris pedes. Talē olim Antonium.)
De his tacito nomie significauit in epistola ad Rusticū mona-
chū. Calamistri uestigio.) Nā calamistro circūuoluti postea
seruāt illius uestigiū, iā crispī redditi. Et altilis geranopopa.)

Vix locus sic restitui possit, citra suppetias exemplarū. Ex uesti-
gijs mēdosæ scripturæ, puto sic esse legēdū, Prandiū nidoribus
pbat, altilis, uulgo pipizo nominat, ut intelligas id demū prā-
dium illi lautū esse, qđ altiliū habeat nidorē. Et ob id pipizonē
uulgo dictū, quod pipi, uox sit autū cortaliū, ut testat & Aristo-
phanes. Sed unde geranopopa: Nā quidam cōdices nō habēt,
Forte legendū, γερανωπίνα, a coquēdis gruibus, q̄ tum in deli-
cijs erāt. Thracij regis germanū.) Germanus plus ē, qđ frater,
hoc est simillimus. Sētit aut Diomedē Thraciæ regē, qui hospi-
tū carne solitus est eq̄s suos pascere. Hūc Hercules cōfecit, si fa-
bulis credimus. Quæ rubore frontis attrito.) Lego abstri-
to, aut certe absterfo. Parasitos uincūt mimorū.) Mimos uo-
cat sordidas & uulgares comœdias, in quibus inducunt parasi-
ti abiectissime assentātes. Mī catella.) Imitat blādīmēta mu-
lierulæ. Cū ante annos plurimos.) Hæc est illa fabula, quā
memoriter tenēt omnes etiā hi, qui ne uerbū quidē unq̄ lege-
runt in scriptis Hieronymianis. Vapulauit, inquit, Hierony-
mus quod Ciceronē legerit. Ac mira quadam religione sic ab-
oibus bonis abstinēt literis, ut nec attingāt, ne forte impruden-
tes incidāt in aliquod uerbū Ciceronis, & cū Hieronymo ua-
pulēt, & tum sibi uident apostolis proximi, si quā spurcissime
loquant. At diuus Hieronymus cū Ruffino locū hūc obijcien-
ti respōdet, somniū uocat, etiā si hic somniū fuisse neget. Nec
hoc unquā sensit Hieronymus, Ciceronē nō esse legendū, sed
in hoc dūtaxat, ut diuina rectius intelligamus, & cōmodius tra-
ctemus. Alioqui quid sibi uult quod scribit ad Oratorem Ma-
gnū? At isti, cū uniuersam uitā in nugis sophisticis, & inanissi-
mis quæstiuularū rixis cōsenserāt, sibi placēt, qđ nihil attinge-
rint bonorū autorū. Vñ recte statuit Leo, X, qui cū hæc scribe-
rem Romanā tenebat sedē, ne quis in scholis publicis, q̄s uniuersitates
uocāt, ultra quinquānos sic in rhetoricis, aut poeticis literis
studiū omne cōsumeret, ut nihil attingeret saluariū literarū.
Verū qđ uetuit in poeticis, idē uetuit in philosophicis. Nos qđ
pueri quōdā libris aliq̄ istorū stolidā supstitionē explosimus,
qui p̄textu religionis politiones literas, quia nō didicerint, ise-
ctant. His acceptū ferimus, qđ autorū, ut qđ sc̄ est lectu dignissi-
mus, ita depuatiū habemus. Horū opa factū ē &, ut in resti-
tuēdo Hieronymo, doctis aliquot plus sudoris ip̄sum sit, qđ
ipse insumpserit scribēdo. Quin insuper sacrilegi, tān ac tam
sacrū uirum, audent uocare poeticū, parūq̄ religiosum, quod

non scribat quæstiones Scotico stylo. Quasi uero Paulus aut p
phetæ, aut omnino quisq̄ uetere, ac uere Christum spirantium
Theologorū, ad istū scripserit modū, Ne ipse quidē Aristoteles
hō gentilis, nec inter philosophos pbata uitæ, qui tantū auri re
liq̄rit, ut a Plynio inter Cræsos & Crassos referat, deinde talitū
argutiæ p̄r, unq̄ tam sophisticè nugatus est, q̄ nugant isti, qui
se diuinæ literæ doctores & interptes uocant. Non delū
bem matronæ saliuam.) Delumbem uocat mollem & effœ
minatā. Et saliuā gustum & opiniōnē, quā aliquis primis imbi
berit annis. Sumptū est ab infantibus, qui abhorrent a salua,
cui non assueuerint, & eum saporē putāt esse suauissimū, quē
prima nutrix præmanso cibo indidit. Retulit aut Satyrici uer
ba. Omne quod nascit. Id est, quicquid ē naturale, quicquid
non est adulteratū artificio. Et eleganter dixit, adulterium lin
guæ. In talem incidere quæstionē.) Quæstiones dicunt etiā
cruciatus, quibus ueri cōfessio exprimit. Pānostrahit.) Pan
nos uocat uestes tritas ac laceras. Cum ad Agapen.) ἀγάπη
dilectio est, siue charitas, Sic & hodie apud uulgus Italiæ, Gal
liæ & nostrum deniq̄, uocant eleemosynā charitatē. Nec sine
causa uoluit hoc uerbo uti, cū describat, quā non amanter dēt,
quod uocant dilectionē. Cœnobitæ.) κοινὸς cōis, εἶος uita si
ue uictus. Id a Pythagora fluxisse tradit, cuius est illud, Amico
rum cōmunia esse omnia. Hāc uitā κοινότητος appellabant, teste
Gellio. Anachoritæ.) Ἀναχωρεῖν secedere. Vt nemo quid
postulet, nemo nō habeat.) Nonnulli codices habebant, Vt ne
mo quid postulet, nemo de habeat, utranq̄ lectionē quis non ui
deat esse mēdosam: Sic aut legendum cenſeo. Vt nemo qd po
stulet, habeat, id est, ut non sit necesse quicq̄ petere. Comple
tis opusculis.) Præscriptas operas uocat opuscula, nisi mauis,
opeculis. A pentecoste.) Paschale t̄ps quinquagesima est, q̄
græce dicit̄ πεντηκὸστή, cuius extremus dies est quo datus fuit
spūs sanctus. A pascha uero usq̄ ad Ascensionē dñi, uetabat ie
iuniū ecclesiastica consuetudo, sicuti testant̄ & decreta. Ex hoc
loco palam pater, olim cū ieiunarent Christiani, solitos differre
cibū usq̄ ad uesperam. Et monachi, ne uiderent̄ ieiunare, cibū
capiebant in meridie, quod uulgo nunc faciunt in Quadragesi
ma ieiunantes. Tales Philo Platonici ser.) Hic Philo Iudæus
fuit, de q̄ dictum est illud, teste Hierony. ἢ Φίλων πλατωνίζε,
ἢ πλάτων Φίλωνι, hoc est, aut Philo imitat̄ Platonē, aut Pla
to Philonē. Et Iosephus Græcus Liius.) Scripsit em̄ græce,

Ætæsi Iudæus natus, sed eloquentissime. Tantū in aliena pro
fecerat lingua Eilēnos refert.) Hic deprauarant pro Eilēnos,
esse nos debere, Eilēni populus est interioris Iudææ, uergentia
ad occidentem, nouum philosophorum genus. Cum fœminis
nullum commercium, palmulis uictitant, pecuniam spernunt,
conuenarum affluxu propagatur populus. Nemo tamē admi-
titur, ullius culpæ, uel leuillimæ sibi conscius. Hæc ferme Ply-
nius. Nec admodum diuersa tradūt Iosephus & Philomenus.

Phygelo & Alexandro.) Hi desciuerant a Paulo, sicut alibi
monstrauimus. Cum angelo fabulatur.) Venuste usus est
uerbo familiari, Fabulantur enim inter se familiares, cum libe-
rius colloquuntur. Factibi Tomū grandem, τὸ μόνον, græci
uocāt uolumina, Locuse est apud Esaiam, capitulo octauo. Su-
me tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis, ueloci-
ter spolia detrahe, cito prædare. Ac paulopost sequitur, Et ac-
cessi ad prophetissam, & cœcepit & peperit filiū &c. Cum
Maria mater domini.) Exodi decimoquinto capitulo, Maria
prophetissa soror Aaron tympanum tenens, præcinit mulierū
choro, quod hic torquet ad Mariam uirginem.

ANTIDOTVS. Videtur in hac Satyrica mordacitate
inuehi in uirgines, in monachos ac clericos, & argutius illorum
uitam depingere. Verum quādo neminem carpit nominatim
& malos repræhendit non probos, illis imputandum est, qui
sic uixerūt, non Hieronymo, qui illos suis depinxit coloribus.

AD HAEC. Videtur hic quoq; quædam durius dice-
re in matrimonium, cui Hieronymus non admodū fauit, imo
tanto magis fauit, quod uoluit esse q̄ minime inquinatum libi-
dine, & uirginitati simillimum. Nominatim illud dictum du-
rius, Tempus amplexandi, & tempus abstinendi a complexi-
bus. Significat in euangelij lege, tēpus esse abstinendi a comple-
xibus. Rursum illud, Consuant tunicas, & cætera, quasi Chri-
sti tunicam non habeant, quæ nupserint. Item illud, Et ut scias
uirginitatem esse naturæ, nuptias post peccatū, Significat coi-
tum esse naturæ corruptæ, nō conditæ. Sunt & alia quæ si quis
iniquè excutiat, dissentire uiderentur a uulgata Theologorum
opiniōne, qui matrimonium faciunt unum e septem sacramē-
tis. Verum hæc omnia si quo animo scripsit Hieronymus, eo
legantur, nihil habent quod quenq; offendat.

FINIS

Und legimud sevi dind in sara van f salba tigd hande er
Pinda in lū wester / seroudu l' legelida sy did tun dregfer
Gend dat harte vor doud de sthal lawbey dymthi myt wy
nem grom pottplacy vud pzwane di hlymi vud dros si
lindytan in der lichte wy sy boni vud hult de to dym belpff
wy de mynter so heffline groete pottliche de gause wyter
nem roet pht vud myschotte vud minge myt hampge
vud make pillen vud stoke in der bynder
Hopy is gurt in der hert de fura gedvndly myt warm wated
Hopy is gurt de dar hark statet in warm wated gemette
Deuentele is tye der hofstey vud to alle wbrade de harty
stou si myt ethe vud dymthi si is hlyer
Brenspink is gurt tye de vlosficht si myt wyme vud dymthi
Och dage
Gung is gurt tye de seve hnt myt hampge gander daly stoch
Oxy ware is gurt de de lenden sweer nem de blode vud make
si vud mitte myt brode a hlyer
Cehdomia is stochwert de is gurt to dindmyt bogen
Dymperma is sanchel sic wester an de walle vud is gurt
de is blaster syu men pte si myt aldy wyme vud gme
se de sechey dymthi wyter dage a hlyer
Fude is gurt de de beym to blaster syu stor de myt gelike
welle pht vud also velle hampge gewermet in gure
pandey vud de a dny plaister vud lopy warm dnd de boni
Hista is gurt poyche nem de woret vud stou si myt aldy
smed bade de vete so hie dar heitst lude kay
Actoma is gurt der stey vorty stou si vud siet myt
wate vud bnt se dar wy
De mythi slayebay de ne dre hoorn ditte sades vud sti die halde
vum mitte vngre lūmyt poff curay gulgay walamy myt
ethe gungit vud mitte g lypel ful auct vud mogyne
Cannille blome syu gurt gedvndly myt wyme vordymet
dar stey vud mentyt de seve othi vordymet si alle stoke
vud de stey de vdyngay vud der lūmyt
Alant ne myt hampge vud siet in wated vud dymthi
dar vum alle dage g ayedoy vud wy de wad fuchy
Wegbroden blade gepdly in smalte vud et wette
vuy tye de gelye pht
Foct ne myt smalde gemidyt vud siet dar made
tye der hartworm
Gendvory a bundlye heudlye also velle poff a lout sy

Handwritten marginal notes on the left side of the page, including the number '17' and some illegible characters.

voren, Wyrnd der becher out, dyndher des mer
gord und and des und bade dar du frucht und las
dich warm dorch, helya ryz d symmet
Solt do zu etich und wriff dich dar mede zu vmd
forn meru tud gplebunt ryz d yigr.
Nem witte enyred hystorch puluy rudi / andy dfrud h
zu hant qz rufstz ne stuchon daltotte mrt fude, and do
Nem erwitte und boat wery de p hit zu bew und ynd
glowendich stuch stals dar wort etich
Nem sey dnyrd vulwyns do dar wryk so und seth dar
zu hant und lat stuch dar wort etich
M hyst grom swedell om bew dar wort etich
Nem bluchwit myrra wroth Campher und wst oley
vmd des bluchwittes soll ruzp so velt sye als des anders
dar wriff so samend. hyst puluy d wuddey mullu cu
hyst und pluse se dar mull
Nem wegebreden, nagehrufft bndworn fochy mepfay
und set dyt mit aldr botchey de gelutter se vnd d
pht do dar ruzm hant und wagenutter was zu p do
m hyst hyst hyst hyst
Nem hyst ruzm edey pot de vnbereuer so, do dar als
ber zu vnt guder vrcifftey botchey und ruzm dar
m hyst brot zu vnd lat dar stuch vnd d helyst / so
ne dar aff vnd de ruzm und wriff nardud set anders
ghelley dageshede set an gnd poy mollen edy pot dar
zu gnd moister und mltge dar stuch zu d pot munt
gunder und stuch do vmd de wuddey dar hylst
allerley wuddey wo alt de sye hyst
The wegebreden blader und stuch d zu smalte und
etich dar wuddey so wort hyst geynt ruzm d gelyst
we dar hyst wylt furr an bency edy armay edy de se
empenger sye de full ruzm ruzm edy wate d ruzm
hyst hyst mrt ruzm und luterstoch und set dar so
hope groyt ruzm
In dar ruzm hyst hyst zu ruzm ruzm wuddey
blader de dar wuddey zu den hont und lege vnd de wuddey
wuddey dar hont ruzm
vnd hyst / de d ruzm dar wuddey mit halde ruzm / dar ma
nime hyst frote ruzm und hyst hyst ruzm und nette dar zu
d hyst d ruzm d ruzm dar mull
vnd hyst, ruzm ruzm und luterstoch blader edy hyst hyst



avis tunc ganung Cantu
 duo migo Libra p[er]p[er]o p[er]p[er]o
 tunc Genuis m[er]ito tunc p[er]p[er]o
 p[er]p[er]o

Quia tunc amicus p[er]p[er]o de l[er]p[er]o



Colorata
 tunc p[er]p[er]o

Isis uer[us] d[er]p[er]o

omnis qui
 f[er]p[er]o
 f[er]p[er]o

tunc p[er]p[er]o
 omnis qui facit l[er]p[er]o

Magnus est d[er]p[er]o tunc p[er]p[er]o
 quam tunc d[er]p[er]o tunc p[er]p[er]o

Magnus est d[er]p[er]o tunc p[er]p[er]o
 p[er]p[er]o tunc p[er]p[er]o

unt





Th

5869